MONVMENTA

HISTORIAE PATRIAE

SERIES II

TOMVS XXII.

R. DEPUTAZIONE SOPRA GLI STUDI DI STORIA PATRIA
DELLE ANTICHE PROVINCIE E DELLA LOMBARDIA

HISTORIAE PATRIAE
MONVMENTA

EDITA JVSSV

REGIS CAROLI ALBERTI

SERIES II

TOMVS XXII.

Codex Diplomaticus Cremonae.

AVGVSTAE TAVRINORVM
APVD FRATRES BOCCA BIBLIOPOLAS REGIS
AN. M. D. CCC. XCVIII

Torino — Stamperia Reale della Ditta G. B. Paravia e Comp.
820 (C5) 23-VI-98.

UMBERTO I ITALIAE REGI
VICTORII EMANUELIS FILIO
CAROLI ALBERTI NEPOTI
CODICEM DIPLOMATICUM CREMONENSEM
QUO HISTORIAE PATRIAE MONUMENTORUM
SERIEM ALTERAM
VULGARE AGGREDIUNTUR
CURATORES HISTORICIS STUDIIS
APUD SUBALPINOS LIGURES SARDOS LANGOBARDOS FOVENDIS
D.

LORENZO ASTEGIANO

CODICE

Diplomatico Cremonese

715-1334

Volume II.

INDICE

CODICE DIPLOMATICO CREMONESE

SECOLO XIV.

1\. — 1301 (1300 *inc.*), *febr.* 19, *XIV*, *in domo episcopi Cremonensis apud Casalem maiorem. ASA.*

Procurator episcopi Cremonae investit Anselminum Cavronum de duabus petiis terrae, ad fictum annuum reddendum cuiusdam quantitatis frumenti, conducti et gubernati in Casalimaiore super solarium episcopi.

Nicolaus Oddonus de Senis imp. auct. notarius et curiae episcopalis cremon. scriba.

2\. — 1301, *apr.* 9 (*XIV*) *super palacio veteri communis Cremonae* (*Exemplatum ex libro reformationum consilii generalis com. Cremonae die* 30 *mad.*) *ASM.*

Consilium gen. Comunis, in quo erant potestas, capitaneus, consules et antiani populi et 100 credenderii et plus, statuit ut, quod provisum erat per quosdam sapientes electos ad faciendam permutacionem inter Fratres minores et Comune de aequali parte terrae in mercatu bobum, firmum sit, et fratres igitur teneantur facere fieri unam clavigam in mercatu per quam discurrat aqua.

3\. — 1301, *iul.* 28, *XIV*, *Cremonae.*

Inventarium bonorum Benedini q. de Casalimorano.

1 *Bibl. Stor.* VI (H. P. M. II. II.).

Oggetti trovati: canterius, 1 roba vergati de Ypra (Ypres), 1 roba brexanini, 1 mantelina de blaveto, 1 pelis de blaveto, 1 roba de blaveto, 1 scutum et 1 rutella, 1 sochonum infodratum de agnello, 1 pellis de blaveto ab homine infodrata de agnello, 1 guarnazonum de yaldo et 1 de virido, etc. etc.

4\. — 1301, *sept.* 21, *XIV. D*, 8.

Nota cuiusdam peciae terrae glariae in glariis Padi, per medium burgatum S. Pantaleonis sive S. Herasmi, de qua, suprascripta die, investitus fuit a Gabella Iacominus de Gorenis.

5\. — 1302 (1301 *inc.*), *febr.* 4, *XV*, *Cremonae. AG.*

Coram Iohanne, archipresbytero Iovisaltae, vicario in temporalibus et spiritualibus Raynerii episcopi Cremonae, Franceschinus de Dovaria ablaticus q. Iuliani de Dovaria, nomine quoque Iacomini f. q. Brunelli de Dovaria, confitetur tenere in feudum ab episcopio petias terrae in Cogollo, ad S. Mariam de Monacis, iuxta castrum illorum de Dovaria, in castro ipso, in Valle arsa, etc. sextam partem honoris curtis Spinadeschi, etc. — Vicarius investit eos de praedictis rebus et Franceschinus fidelitatem iurat. (V. 1297, sept. 27).

Manfredino de Longhis notario.

6. — 1302 (1301 *inc.*), *febr.* 21, *XIV*, *Cremonae, in domo Iohannis de Panevinis vic. S. Michaelis veteris.*

Inventarium bonorum q. Iohannis de Panevinis.

L'inventario è fatto praesentia notarii qui se subscribere debet secundum formam statuti Com. Cremonae et secundum consuetudinem civitatis Cremonae, e di tre uomini bonae famae, opinionis et condicionis, i quali dichiarano di avere conosciuto il defunto e di conoscere i figli e di avere conoscenza dei beni, e in presenza di quattro testimoni.

Dopo la presa di possesso dell'eredità fatta dal figlio maggiore del defunto e da Primerano di Sommo, uno dei tre uomini di buona fama, che era stato fatto tutore dal giudice del potestà e da un console di giustizia, delegati alla giustizia di Porta Pertusio e S. Lorenzo, solo per questa presa di possesso (come si contiene in due carte), la moglie Zohana, coi tre tutori designati dal morto per testamento, fanno l'inventario. Quindi in testa si riscontrano quattro segni di croce.

Trovano innanzi tutto una casa in vic. S. Michaelis veteris in quarterio albarino, colla coerenza del marchio Cavalcabox e del Comune di Cremona. Poi pezze di terre e case a Sospiro, a S. Salvatore, a Lovera, a Cazalucho.

Fra i debiti si citano 80 libbre imperiali, dote della moglie Giovanna, e a lei dovute.

L'inventario continua l'8 marzo seguente, alla presenza dei soli quattro tutori e di testimoni.

Son menzionati pochi mobili; i soliti attrezzi agricoli; 1 gabia a pane, 1 somera, 1 basto, 1 valixia e 2 cofanos feratos de somerio; cavalli e ronzini, 8 scudi, 1 elmo di ferro, 2 schincleras, 2 selle e 2 freni, ecc.

Aggiungono i tutori che se di altra cosa verrà loro notizia, la porranno nell'inventario; e infatti nel 1302, 8 aprile XIV, Cremona, fanno scrivere in presenza di testimoni:

« in primis unum codicem; item librum instrumenti; item tres libros codicis; item libelli Rofredi cum brocardis; item casus trium librorum codicis; item librum novellarum; item moralium dogma; item librum Flavii; item duos quaternos Tulii — quos suprascriptos libros habet penes se suprascriptus D. Riboldus (de Sydollis) — item quedam rationes? super codice; item quemdam librum parvum brocardorum; item unum Oratium; item unum Ovidium; item quemdam librum qui incipit argumentatio est dicta; item quemdam librum parvum qui incipit Sancti Spiritus adsit nobis gratia de preparaticus titulorum et de codicis inceptione; item quemdam librum parvum Virgilii cum duobus quaternis antea; item librum Marci Tulii Ciceronis; item quendam librum gramatice qui incipit In nove ferianimus; item unum Ovidium Ponti; item unum Salustium vetus; item unum libruum qui apellatur Sintilacius — quos suprascriptos tres libros habet suprascriptus Manfredus (de Gracio) penes se — item unam inforzatam quam habet D. Prumeranus de Somo penes se. »

I due citati Riboldo de Sidolli e Manfredo de Gracio erano due dei tutori, come lo era Prumerano di Sommo.

Il defunto, come appare da carte da lui rogate, e qua e là conservate, era un notaio.

7. — 1302 (1301 *inc.*) *mart.* 20, *XV*, *Cremonae.*

Venditio facta per sindicum communis Cremonae Donato Quirino de Venetiis pro se et Marco et Nicolao Quirino et sociis de omni et toto iure salis vendendi in civitate, episcopatu et districtu usque ad tres annos et dimidium seu tanto tempore minus quanto venderentur 2400 modii Venetici salis, pro 16000 libris imp.

8. — 1302, *iul.* 24, *XV*, *a. in salario magno piscariae Cremonae. D*, 19.

Sazum et taxatio sextarii salis ad sextarium Cremonae, facta per priorem S. Mariae Valvirda et Sandonium de Lalora de Veneciis, iuxta formam contractus inter Quirinos et Commune. (V. a. 1302, mar. 20).

9. — 1302, *iul.* 30, *XV*, *super palatio in consil. gen. comm. Cremonae.*

Procurator Donati et Marchi et Nicolai de Quirinis, praesentia potestatis, capitanei, consulum, anzianorum populi, abbatum et sapientum - 8 - et massariorum - 2 - gabellae, et sindici communis, acceptat contractum factum sub a. 1302, mart. 20, de datio gabellae salis, et solvit 16000 libras imper.

10. — 1302, *sept.* 1, *XV*, *in palatio veteri comm. Cremonae.*

Imbreviatura ex volumine statutorum populi Cremonae de quodam statuto, facto die 29 iul. per 11 statutarios (Cremoxanus de Zuchellis, Ottolinus de Muricis, Petrus de Boxello, Ambroxinus de Blancha, Andriolus de Alfiano, Franceschinus de Comesadio, Iustamons Spadarius, Cavalinus de Piperariis, Antoniolus de Riparolo, Faciolus de Masencio, Pellegrinus de Picenardis) ellectos ad urnam in consilio generali populi, secundum reformationem consiliorum comunis et populi, et provisionem Gabellae.

Quum venditum fuerit datium salis venditi in civitate et districtu Donato Quirino et aliis mercatoribus Veneciarum, et cum necessaria fuissent 2 milia libr. imp. pro solvendo militibus et stipendiariis, in servicium Papiae et amicorum et societatis ligae partis Ecclesiae Lombardiae, et idcirco 10 soldi imp. pro quolibet sextario salis, qui sunt in Gabella et qui appellantur patrimonium salis, sint venditi etiam Donato Quirino.

Et cum ad corroborationem contractus facta fuerit provisio gabellae, in quo continebatur etiam quod fieret de hoc statutum populi, et cum etiam hoc fieri debaet secundum reformationem consiliorum comunis ac populi.

Idcirco praedicti statutarii statuunt ut potestas, capitaneus, consules, anziani, sindicus generalis Communis et Populi et Gabellae, sub quibusdam poenis, debeant omnia quae in iisdem contractibus continentur observare.

Lectum et publicatum fuit hoc statutum in consilio generali populi, per notarium et dictatorem Comunis, die 29 iul., et ab ipso imbreviatum de volumine statutorum populi.

11. — 1302, *aug.* 25, *XV, in palacio communis Cremonae. Copia recente, BG, n.* 1232.

Aliquot fictalicii de Piscarolo, de rebus episcopii Cremonensis in curte et loco S. Felicis de Ripa Olei, eligunt sibi, praesente iudice potestatis, deputato ad coblas et iustitias portarum S. Laurentii et Pertuxii, pro tribunali sedente, praedicta bona a quibusdam fictaliciis suis, qui cessaverant a solutione ficti.

12. — 1302, *nov.* 24, *I, Cremonae.*

Investitura honorifica per feudum facta per vicarium episcopi Rainerii, nomine episcopii, in archipresbiterum plebis S. Mauritii de Casanova, nomine dictae plebis, de decima et decimaria fructuum terrarum iacentium in territorio plebatus S. Mauritii de Casanova, Ronchae, Deroveris, S. Mauricii de lacu Delmonae, Scandolariae ripae Padi, Gataroli, de Lamme, et fructuum terrarum omnium novalium et roncorum in praedicto territorio et plebatu S. Mauricii, quod feudum dicta plebs tenebat tanto tempore cuius non est memoria, et sacramentum fidelitatis ipsius archipresbyteri.

13. — 1303, *ian. Venetiis. Dal Minotto, Acta et Diplomata e R. Tab. Veneto, III,* 1, 120.

Quadraginta viri, cum Azolinus de Cremona nauta Padi detulisset extra Venetias modios salis de mari et solvisset datium, et per fortunale temporis periclitasset in portu Clugiae, statuunt ut fiat ei gratia de modiis 7, quae perdidit, extrahendis sine datio.

14. — 1303 (1302 *inc.*), *febr.* 2, *I, Cremonae.*

Inventarium bonorum q. Cabrini Baroni.

Si segna, fra il resto: 4 telarios cum apparatu a texendo pannum lini, 1 cavalletum ad ordendum filum, 1 tasolum magnum et 1 parvum de cassis sex quartarum et dimidii a texendum pannum et lintiamina; piatti, taglieri e 2 mesoros; 1 guarnazonum de acotonato mezolano a muliere infodratum agnelli.

15. — 1303 (1302 *inc.*) *marc.* 12, *I. D,* 8.

Recordatio investiturae de una pecia terrae guastiae, prope portam Templi, facta a Gabella, suprascripto die, in Parixium Marianum.

16. — 1303, *marc.* 18, *I, Cremonae. D,* 20

Consilium gabellae denunciat sindico generali communis et populi quod non debeat facere nec permittere fieri contra quandam provisionem 28 sept. 1302, per quam diminutum est ad rationem trium denariorum de libra donum quod debet solvi emptoribus dacii novi et furni capitanei (V. a. 1302, ma. 31) ex consensu ipsorum emptorum.

17. — 1303, *apr.* 1, *Cremonae, D,* 21.

Argumentum inquisitionis faciendae per officium gabellae contra Quirinos, occasione contractus venditionis salis (V. a. 1302, iul. 30), propterea quod dicebatur salem vendi ad rationem 5 pensarum et

8 untiarum tantum pro sextario et consignari in salariis gabellae ad rationem 24 sextariorum Cremonae pro quolibet modio Venetico. — Praedicta inquisitio incepta fuit die 26 apr.

18. — 1303, *apr.* 28, *I, Cremonae. D,* 22.

Lanfranchinus de Ferero, abbas, nomine gabellae, praecipit correrio quatinus citet Quirinos.

19. — 1303, *mad.* 2, *I, d. in ducali palatio Venetiarum. D,* 31.

Litterae Petri Grandonici ducis, qui praecipit et rogat quatinus permittatur Nigrello de Luna de Mantua vel procuratori eius, latori praesentium, ire libere per Lombardiam cum navi quae habet 31 modios salis.

20. — 1303, *mad.* 10, *I, Venetiis. D,* 42.

Quirini constituunt Sandonium de Lalora procuratorem suum ad recipiendum denarios a gabella Cremonae, ad consignandum salem, et ad defendendum iura ipsorum.

21. — 1303, *mad.* 11, *I, Venetiis. D,* 23.

Correrius citat Quirinos ad comparendum infra decem dies coram officio gabellae Cremonae. (V. a. 1303, apr. 28).

22. — 1303, *mad.* 2 1, *Cremonae. D,* 25.

Testimonium unius pensatoris salis in salariis communis, testis gabellae.

23. — 1303, *id. id. D,* 26.

Testimonium duorum pensatorum salis, testium gabellae, et nuclerii Mantuani qui duxit navem cum sale pertinenti ad Sandonium de Lalora et socios, de qua in litteris ducis Venetiarum 2 mad.

24. — 1303, *mad.* 23, 24, 26 *et* 27, *I, Cremonae. D,* 27.

Nicolinus de Artuxiis, abbas, nomine sapientum et abbatum gabellae denunciat Sandonio de Lalora ut adesse debeat cum priore Vallisviridae ad portum Padi ut mensuretur navis onerata salis et fiat asazus seu mensura modii venetici ad rationem sextarii Cremonae. — Sandonius dicit se nolle praesentem esse, et prior Vallisviridae, praesentia aliquorum fratrum et quamplurium sapientum et officialium gabellae, facit mensurare salem. — Testimonium trium mercatorum salis et unius pensatoris in salario S. Agathae, testium gabellae. — Sandonius de Lalora dicit quod venditio salis ad rationem 5 pensarum et 8 unciarum pro quolibet sextario facta est et fit iuxta asazum factum cum priore Vallis viridae sub anno 1302 iul. 24, et quod nondum facta fuit mensura seu asacius modii ad sextarium Cremonae.

25. — 1303, *mad.* 28, 30 *et iun.* 1, *I, Cremonae. D,* 28.

Abbates gabellae statuunt et prolungant terminum Sandonio de Lalora ad defensionem faciendam.

26. — 1303, *iun.* 1, *Cremonae. D,* 29.

Testimonium Iacomelli Zancharini de civitate Venetiarum, mercatoris salis, testis Sandonii de Lalora.

27. — 1303, *iun.* 2, *I, Cremonae super domo gabellae. D,* 32.

Abbas gabellae pro se et sociis suis protestatur procuratori de Quirinis quod officium gabellae paratum erat observare omnia pacta contractus, et quod clarificet et specificet ea quae non observantur.

28. — 1303, *iun.* 3 *et* 4, *I, Cremonae. D,* 30.

Testimonium quatuor testium Sandonii de Lalora, Zocharini de Zochis, Nicolini de Verdellis, Bertolini de Casamala pensatoris salis salarii parvi piscariae et Gambae de Zampanis.

29. — 1303, *iun.* 18, *I, Cremonae super domo gabellae. D,* 33.

Abbas gabellae Sandonio de Lalora eadem protestatur et denunciat quae die 2 iun. (V. a. 1303, iun. 2).

30. — 1303, *id. id. D,* 34.

Abbas gabellae denunciat et protestatur praedicto Sandonio ut ab hodie in antea non debeat amplius damnificare gabellam et commune.

31. — 1303, *iun.* 19, *Cremonae super domo gab. D,* 36.

Correrius dicit praecipisse Sandonio de Lalora ex parte abbatum ut veniat ante vesperos ad audiendum sententiam.

32. — 1303, *id. id.* (*lecta in consilio populi* 23 *iun.) D,* 35, 37.

Baldesar de Picenardis, Nicolinus de Artuxiis, Egidiolus de Multisdenariis, et Camundinus de Raimundis, abbates, absente Sandonio, sententiant quod modius veneticus salis comprehendat tantum 23 sextaria et minam, et sextarium computetur ad rationem 5 pensium et 5 librarum et 8 untiarum, reservato gabellae iure acquisito pro sale vendito minus dicta pensa a tempore contractus citra.

33. — 1303, *iun.* 21, *I, Cremonae super domo gabellae. D,* 38.

Abbas gabellae pro se et sociis suis Sandonio de Lalora eadem protestatur et denunciat quae die 2 et 18 iun. (V. a. 1303 iun. 2 et iun. 18).

34. — 1303, *id. id. D,* 39.

Praedictus abbas denunciat Sandonio ut observet sententiam nec ultra permittat aliquid fieri in detrimentum gabellae, sub poenis contentis in contractu.

35. — *iun.* 31, *Cremonae. D,* 40.

Abbas gabellae praecipit massario quod omnes denarii de sale de tribus mensibus praeteritis et proximis solvantur Sandonio pro complemento solucionis salis qui venditus non est secundum pacta contractus.

36. — 1303, *id. id. D,* 41.

Idem abbas praecipit Graciae de Firmo sindico generali communis ut observet et faciat observari processum et sententiam contra Quirinos, nec querimoniam recipiat, et ab aliis receptam, casset et irritet.

37. — 1303, 18 *iul. Venetiis. Dal Minotto. Acta et Diplom. e R. Tabulario Veneto, III,* 1, 121.

Dux Venetiarum, ambaxatoribus marchionis Estensis et Ferrariae, Parmae et Cremonae, petentibus ut facultas sibi detur extrahendi sine datio bladum et conducendi in suas civitates, respondet quod ad praesens petitionem eorum admittere non poterat sine periculo caristiae.

38. — 1303, *aug.* 6, *I, super palatio veteri Cremonae.*

Procuratores de Quirinis de Venetiis postulant a potestate capitaneo et consulibus et antianis ut cassent et revocent sententiam officii gabellae contra pacta contractus de datio salis, iun. 19.

39. — 1303, *aug.* 7, *I, Cremonae.*

Inventarium bonorum hereditatis Iacomini de Archidiaconis, f. quondam Guidetti.

Si cita una casa, per la quarta parte, in vicinia maiori Portae Pertuxii. (Era nella via detta degli Arcidiaconi, e ora Beccherie vecchie).

40. — 1303, *nov.* 27, *II, Cremonae. D,* 45.

Investitura, nomine ficti, de duabus peciis terrae glareae Padi, facta per abbates gabellae, Branchinum de Zochis et magistrum Andriolum de Platea, in Paxinum de Gosalengo et Lanfranchinum de Cavaleriis et Salsam de Zochis.

41. — 1303, *dec.* 3, *II, Cremonae. D,* 46.

Investitura de duabus petiis terrae ad S. Cismontum facta per abbates gabellae, Cabrinum de Landarescha et Coradinum de Ciria, in Bertolinum de Bagnarolo, Manfredinum de Assandris, Graciadeum Mendonerium, et Nicolinum de Comessadio.

42. — 1303, *dec.* 5, *II, Cremonae. D,* 47.

Sandonius de Lalora confitetur recepisse denarios pro sale dato de illis 2400 modiis salis, quos debet vendere communi secundum formam contractus, usque ad kalendas novembris praeteritas.

43. — 1303, *dec.* 7, *II, Cremonae. D,* 50.

Investitura facta per abbates gabellae, Cabrinum de Landaresca, Coradinum de Ciria et Iacomum Tachelam, de 24 perticis terrae glariae in glariis Padi, a ponte supra, in Paxinum de Gosalengo, Salsam de Zochis, Lanfranchinum Cavalerium, et Albertinum de Brugnolis.

44. — 1303, *dec.* 9, *II, Cremonae super domo gab. D,* 48.

Sandonius de Lalora confitetur deposuisse in salario iuxta batesterium 74 modios salis de illis 2400 modiis quos debet vendere communi.

45. — 1303, *id. id. D,* 49.

Praedictus Sandonius confitetur se vendi fecisse totum sal venditum in salariis communis usque ad kal. novembris proxime praeteriti ad lapidem qui tunc erat in salario pescariae et non ad lapidem qui novum fieri fecerunt.

46. — 1303, *dec.* 31, *II, in episcopali palacio in loco ubi ius reddit ad iusticiam clericorum Cremonae.*

Notarius et scriba ad officium delegatorum, cum duobus testibus, autenticant tres sententias excommunicationis, simplicis et duplicis, 17, 20 et 25 lib. imp., latas tempore Raynerii episcopi, a Moroello de Benedictis canonico et Balcaro de Restalliis iudice layco, deputatis ad officium delegatorum, contra Iacominum de Schicis, quae legebantur in libro excommunicationum simplicium et duplicium, intencionum, praeceptorum, interdictorum, parabolarum et tenutarum et aliarum diversarum scripturarum omnium pertinencium ad officium delegatorum episcopi. — (La seconda scomunica di 20 libbre imp. era inflitta per non essere uscito dalla prima, pagando libbre 17; la terza, per non essere uscito dalle due antecedenti. Le sentenze erano intimate successivamente da un corriere).

47. — 1304, *apr.* 4, *d. Romae apud S. Petrum. BG.* Ripolli, *Bull. Praedic. II,* 97. Domaneschi, *De reb. coen.*, ecc. p. 19.

Bulla Benedicti XI, priori et conventui fratrum praedicatorum Cremonae, quatinus possint distrahere ecclesiam et domos S. Guillielmi, cum duxerint se transferendos in locum alium in civitate Cremonae.

48. — 1304, *id. id. BG.* Ripolli, *op. cit. VIII,* 454. Domaneschi, *id.*, p. 22.

Bulla Benedicti XI, archiepiscopo Consan. et episcopis Brixiae et Bergomi, qua confirmat ecclesiam S. Martini, cum omnibus iuribus pertinentibus, iam a praedecessore suo fratribus praedicatoribus Cremonensibus concessam, mandans quatinus eos inducant et defendant.

49. — 1304, *apr.* 4, *III, Cremonae.*

Donatio de novem peciis terrae in territorio Calliani facta ab Egidiolo de Bonseriis, canonico cremonensi, Capitulo cremonensi, vice altaris beati Petri siti in eccl. Cremonae iuxta scallas lapidum per quas itur super palatio veteri D. episcopi.

50. — 1304, *mad.* 4, *II, Cremonae. D,* 53.

Reformatio abbatum et sapientium gabellae quod collegium iudicum consulat utrum cavalcatores Cremonae debeant habere solutionem quam petunt an non de iure, et quod provisio de praedictis et ad fortificationem praedictorum fiat et pro facta habeatur.

51. — 1304, *mad.* 5, *II, Cremonae, in palatio episcopi, praesentia Allinerii de Allineriis, Carlini de Madalbertis, Petri de Multis denariis atque Ugolini de Crevis, consulum colegii iudicum Cremonae. D,* 54.

« Consilium colegii iudicum Cremonae datum ab abatibus et sapientibus gabelle Cremone in quo colegio fuerunt 67 iudices de ipso colegio tale est videlicet » quod provisio gabellae 24 ian. praeteriti, qua cavalcatores seu stipendiarii Communis cassabantur, potuit fieri de iure et valet, quae provisio lecta fuit in dicto colegio.

52. — 1304, *iun.* 26, *II, Venetiis in domo Marci de Quirinis in Procuraria.*

Marcus et Donatus eius filius de Quirinis declarant Lanfrancum de Cappo, de Mantua, habitatorem Venetiarum, pro se et sociis suis, socium esse in contractibus salis factis cum communi Cremonae, pro 4823 libris et 4 sold. et dimidio imp.

53. — 1304, *aug.* 16, *II, Mantuae, in quadam domo Henrici de Bonacolsis. AG.*

Testamentum Guielmi, f. q. Antonii de Dovaria, et habiatici et heredis Bosii de Dovaria.

54. — 1304, *aug.* 31, *II, in palacio veteri Cremonae ad bancum potestatis. AG.*

Cum habates et sapientes blavae fecissent provisionem, ad instanciam comunis Platenae, quod possit facere quinque rotas molendinorum in aqua Taliatae, quae est inter Oleum et Drizonam, et per medium terram Canedi; quod si dictum comune faceret, redundaret in damnum dominorum De Amatis, Guazonibus et Ponzonibus, et comunis Castrifranchi, et fieret contra privilegia comuna eis, tam per comune Cremonae quam per alios, qui potuerunt dicta privilegia concedere in aqua Oley; Boninsegna de Colonbarolo, procurator dictorum dominorum, et Manfredus de Gracio, procurator Castrifranchi, petunt a capitaneo populi Cremonae eiusque assessore, ut non permittant ad effectum perduci dictam provisionem quam habates et sapientes blavae non habebant bayliam faciendi. Alioquin tortum et damnum redundabit praedictis in 1000 libris imp. pro quolibet. Petunt aliquo contradicere et terminum sibi dari ad raciones suas probandas.

Gerardo de Gausi notario.

55. — 1304, *sept.* 7, *II, Cremonae in episcopio, praesentia Berti Fidantiae de Casulis, Ponzini f. D. Frederici de Ponzonibus atque Baldexari de Ponzonibus.*

Frater Iohannes canonicus et vicarius generalis Raynerii episcopi cremonensis, ex commissione episcopi per literam d.Casulis, in palatio episcopi 1304, II, aug. 30, vacante archipresbyteratu maioris eccles., ob mortem Zambonini de Fraganesco, creat Maxenerium de Ponzonibus archipresbyterum plebis Platinae, archipresbyterum ecclesiae maioris, reservans etiam ei archipresbyteratum Platinae propter paucitatem reddituum archipresbyteratus cremonensis; eodemque die procurator Maxenerii, praesentia D. Guillielmi, Ginoni et Baldexari de Ponzonibus, ponitur in tenutam archipresbyteratus.

56. — 1304, *sept.* 12, *Regii. Dal* Muratori, *Ant. Est. II,* 66. Taccoli, *Mem. stor. di Reggio, I,* 412.

Azo Estensis marchio, et dominus Ferrariae, Mutinae et Regii, concedit proventus omnes complurium terrarum, inter quas Regiolum, Suzaria, *Luzaria,* Gonzaga, Bagnolum memorantur, Giberto de Coradis de Gonzaga, civi Regii et Mantuae, et Roberto de Charitate, civi Regii — aliosque proventus Giberto vecchio de Corrigia et Guidoni de Sesso.

57. — 1304, *oct.* 31, *III, Cremonae. Ap.*

Archipresbyter Iovisaltae, vicarius Raynerii episcopi Cremonae, cassat receptionem factam a fratre Bendiadeo de Madiis, massario Laborerii S. Mariae de Cepo maioris ecclesiae, de uno converso et una conversa, scilicet de fratre Lanfrancho qui dicitur Berxanus de Ronchadellis et Iacomina uxore eius.

58. — 1304, *dec.* 7, *Venetiis. Dal* Minotto, *Acta et Diplom.* e *R. Tabulario Veneto, III,* 1, 124.

Quadraginta viri statuunt ut gratia fiat Azolino de Cremona, nautae Padi, portandi 10 modia salis maris ad partes Lombardiae, sine datio, cum navis eius se submersisset in portu Clugiae.

59. — 1305, *mart.* 29, *III, Cremonae. D,* 57.

Confessio facta per Dotum Boldizonum de Florencia, habitatorem Cremonae, Antonio de Dulcevitis, Filippino de Cortisis

et Ottolino de Casamala, abbatibus gabellae, quod satisfactus fuit de 168 modiis salis.

60. — 1305, *mart.* 31, *III, Cremonae. D*, 58.

Sandonius de Lalora procurator de Quirinis, Anzelerinus de Nuptiis, Daniel de Casamala et ceteri alii emptores dacii salis (v. a. 1304, apr. 6) confitentur recepisse a fratre Leonardo massario gabellae 1078 libras et 7 soldos et 4 denarios, itemque satisfactos esse de usuris usque per totum mensem proximum septembris.

61. — 1305, *apr.* 7, *III, BG.*

Litterae Berardi episcopi Brixiensis praepositis S. S. Simonis et Iudae et S. Agathae et S. Luciae Cremonae, quatinus fratres praedicatores inducant in possessionem S. Martini ecclesiae per ipsum conventum de novo constructae in loco civitatis Cremonae.
(V. a. 1304, apr. 4).

62. — 1305, *aug.* 6, *III, Cremonae. D*, 51.

Investitura seu afictacio per 5 annos facta per Ranbaldum de Casalorcio, Albertum de Bonbellis et Federicum de Axinellis, abates gabellae, in magistrum Andriolum de Platea de domibus et stacionibus quae sunt in vicinia maioris piscariae in curia episcopi, et in Benellum piscatorem de cantono quod est sub scalla palatii gabellae per medium baptisterium.

63. — 1306. (1305 *inc.*), *mart.* 24, *IV, super palatio veteri Cremonae. AG, Reg. del Com. di Mantova, fol.* 63.

In consilio comunis, in quo erant 250 credenderii et plures, qui erant duo partes et plures quae requiruntur, vicarius potestatis, capitaneus, consules et antiani populi et credenderii, creant Bertolinum de Alfiano sindicum ad iuranda pacta pacis in Robecco, inter Cremonam ex una, et Brixiam, Mantuam, Veronam ex altera parte, secundum quod in Pontevico inter Brixianos et Cremonenses statutum est, et ad iuramentum recipiendum.

64. — 1306, *mart.* 24, *IV, in terra Robechi, districtus Cremonae, in eccl. S. Blasii. AG, id.*

Iuramentum praestitum a sindicis Cremonae, Brixiae, Mantuae et Veronae, ad praedictam concordiam firmandam.

65. — 1306, *apr.* 6, *IV, Cremonae. D*, 59.

Sandonius de la Lora procurator de Quirinis et ceteri alii emptores dacii salis (1304, apr. 6) confitentur accepisse a massario gabellae 553 libras et 13 soldos et 4 den. imper. et satisfactos esse de usuris per sex menses proxime venientes.

66. — 1306, *iun.* 30, *IV. D*, 60.

Fines factae massario gabellae per praedictos creditores de 900 libr. et 2 den. de sorte et capitali.

67. — 1306, *sept.* 11, *IV, in Sancto Iohanne in Palvareto.*

Iussu archipresbyteri Iovisaltae vicarii R(ainerii) episcopi cremonensis, dantur litterae presbytero et rectori ecclesiae S. Iohannis in Cruze, quatenus praecipiat omnibus habitatoribus ut persolvant episcopo decimam pro praesenti anno et duobus praeteritis, sub poena negationis sacramentorum excepto in articulo mortis.

68. — 1306, *dec.* 19, *V, Cremonae. ASM.*

Guillielmus de Persico, consul iustitiae portae Pertuxii, Ranbonzae viduae Petrezoli de S. Sylo filii Maphey, dotem restituit (60 libr. imp.) et alimentum et interesse dotis (20 libr. imp.) et expensas factas (40 sol. imp.); propterea dat ei tenutam de una domo quae fuit quondam Maphey et Petrezoli de S. Sylo, extimata iam in 95 libr. imp.

69. — 1307, (*sine mense*) *et* 1307, *dec. Dal* Minotto, *Acta et Diplom. e R. Tab. Veneto, III,* 1, 138, 139.

Commune Parmae et Defensor Communis et populi parmensis (Guibertus de Corrigio), ad hoc ut Cremonensibus inimicis suis damnum et molestiam inferant,

nuntiant per ambaxatores Duci et Communi Venetiarum, se velle claudere transitum navibus et mercationibus per Padum, in sua dioecesi et districtu, vel liberum et securum permittere sub quibusdam pactis et conditionibus. Dux et Commune Venetiarum adversantur huic rei et praesertim novis pedagiis quae Parmenses accipere intendunt.

70. — 1308, *febr.* 7, *Venetiis. Dal* Minotto, *Acta et Diplom. e R. Tabulario Veneto, III*, 1, 140.

Responsum aliud Ducis et Communis Venetiarum, Communi Parmae factum, super quaestione de qua agitur ad annum 1307, n. 69.

71. — 1308, *mart. Cremonae. D*, 61.

Nomina 16 sapientum deputatorum super gabellis generalibus communis Cremonae sub quorum regimine facta fuerunt instrumenta finium (quae sequuntur) per conestabilles cassos a Comuni Cremonae.

Infrascripta sunt instrumenta finium factarum per infrascriptos conestabilles cassos per comune Cremone de infrascriptis quantitatibus pecunie fratri Zoanino massario gabelle magne Cremone et infrascriptorum dominorum sedecim deputatorum super gabellis generalibus comunis Cremone, recipienti nomine et vice comunis et gabelle magne Cremone, per me Egidiolum de Bergoyonibus notarium gabelle magne et ipsorum dominorum sedecim, sub millesimo trecentesimo septimo, indictione sexta, de mense marcii. Nomina quorum sapientum sunt hec.

De Porta Sancti Laurentii.

D. Rexius de Lovexelis. — D. Venturinus de Muredellis. — D. Baldesar de Baratis — D. Nicolinus de Teboldis.

De Porta Natalis.

D. Raimondus de Alghixiis — D. Petrus de Ansoldo. — D. Iulianus de Gorenis. — D. Duxinus de Zuchellis.

De Porta Pertuxii.

D. Iulianus de Sommo. — D. Gufredus de Bredolano. — D. Lafranchinus de Raymondis. — D. Robertus de la Capra.

De Porta Ariberti.

D. Egidiolus de Zermignago — D. Petrus de Gosalengo. - D. Nicolinus de Paterno. — D. Raimondus de Cagavitellis.

Qui gabellatores et sedecim sapientes inceperunt servire die mercurii tertiodecimo martii.

72. — 1308, *mart.* 21, *VI, Cremonae. D*, 62.

Fines factae massario communis per Tomaxinum de la Fossa de civitate Regii olim conestabilem peditum communis Cremonae de 136 libris et 3 soldis imper. pro complemento soldi sui.

73. — 1308, *id. id. D*, 63.

Fines de 159 libris et 15 soldis imper. factae per Bellinum Carenzonum civem Laudis olim conestabilem peditum Cremonae.

74. — 1308, *id. id. D*, 64.

Fines de 151 libris et 15 soldis factae per Guillielmum de Fayentia olim conestabilem peditum Cremonae.

75. — 1308, *mart.* 22, *VI, Cremonae. D*, 65.

Fines de 84 libris factae per Carosium de Forlivo olim conestabilem peditum Cremonae.

76. — 1308, *id. id. D*, 66.

Fines factae per Antoniolum de Milano olim conestabilem peditum Cremonae de 188 libris imper.

77. — 1308, *iul.* 5, *VI, Cremonae.*

Inventarium bonorum Girardi f. q. Leonardi de Persico, factum ab Agnexina uxore Antonioli de Pomponesco et avia sex filiorum q. Girardi.

Sono presenti Zanoya de Alleo consul iusticiae Cremonae Portae Ariberti, Antoniolus de Pomponesco, Iacopinus D. Martini, Zaninus et Girardus D. Ruffini, comites de Persico, testi, homines bonae famae etc.

Si registrano: in terra et in territorio Sablonetae unum castrum muratum et cum domibus muratis intus, et dicitur esse media bibulca; una casa in vic. S. Petri de Pado, coerente il letto del Po.

Segue una lunga enumerazione di terre in territorio di Sabbioneta, coerenti, fra altri, i Persico, i Dovara seu comune Cremonae, il dugalle, ecc. Poi vengono le terre, nello stesso territorio, date a fitto.

V'è quindi la nota dei crediti e dei debiti; un credito di 100 libbre imp. a Gabella magna com.

Cremonae; item pupilli debent habere in dacio vini decem libras imp. « Debitum hoc est: debent dare Gabelle magne Cremone sexaginta libras imp. quas legavit dictus dom. Girardus dicte Gabelle pro usuris quas habuerat ab ipsa Gabella.»

Oltre i soliti mobili si notano: 1 pellem de viridi infodratam de vayro, 1 zupam de zendali glauco, 1 mantellum de manbonio? viridi infodratum de zendali glauco, 1 guarnazonum et 1 gonellam de saya vermilia, 1 guarnaciam de viridi infodratam de vayro et 1 gonellam, 1 pignolatum et 1 peliciam, 1 zuponum et 1 guarnellum? 1 capam de blaveto et 1 guarnazonum de perso, 1 gonellam de someto, 2 fodras agnelli, 1 equum servandum ab armis et 1 roncinum brunum, 1 catexam a ponte, etc.

78. — 1308, *iul.* 7, *VI, in ripa Olei circa terram de Monticellis. Dal* Du Mont, *Corps univ. diplom. du droit des gens, Supplement del Rousset, I,* 2, *p.* 13.

Pax inter civitates Brixiam et Cremonam, per quam, abolitis et remissis iniuriis atque offensionibus, captivisque relaxatis, et ordinatis ex utraque parte 25 equitibus cum capitaneo, pro maiori securitate in ripa Olei, cuncta reponuntur in eum statum, in quo fuerunt post pacem apud Pontemvicum seu Rebeccum, 1306, mart. 29 — cum adprobatione consilii generalis quadringentorum Brixiae, ex ordinatione paraticorum artium die 9 eiusdem mensis facta, altero die habiti, scilicet 10 iul. (Transumptum Mantuae 8 aug.).

79. — 1308, 15 *iul. Dal* Minotto, *Acta et Diplom. e R.° Tabulario Veneto, III,* 1, 143.

Dux Venetiarum Capitaneo Mantuae, qui ab eo petierat ut procuret liberum transitum dari Mantuanis per districtum Cremonae, si vult ut Mantuani eamdem concessionem faciant Cremonensibus per districtum suum, respondet quod intendit hoc tamquam conveniens procurare.

80. — 1308, *iul.* 20 *et* 22, *VI, in baptisterio Cremonae. D,* 67, 68, 69, 71, 72.

Instrumenta quinque finium factarum massariis -2- gabellae magnae de toto stipendio, pro se et sociis suis, per Baldoinum de Riva, Loixium de Casaloto (v. a. 1300, dec. 11), Robertum comitem de Casaloto, Tebaldum de Monzalbano et Petrum Montum de Mantua, olim conestabiles militum stipendiariorum communis Cremonae, ad rationem 20 libr. imper. pro quolibet equo ab armis et roncino singulis tribus mensibus.

81. — 1308, *aug.* 1, *VI, in consilio Mantuae. Dal* Du Mont, *Corps univ. dipl. du droit des Gens, Suppl. del Rousset, I,* 2, *p.* 66.

Pax inter communia Mantuae et Cremonae, qua stipulatione de mercaturae et viarum securitate facta, dataque aliis communibus libertate in hanc pacem intrandi, cuncta restituuntur in eum statum in quo fuerunt post pacem ad Pontemvicum, sive Rebeccum, 1301, mart. 28, contractam.

82. — 1308, *aug.* 3 *et* 6, *in baptisterio Cremonae. D,* 73, 70.

Fines factae per Antonium de Senis et Samzium de Tortona, olim conestabiles militum Cremonae, modo et forma, de qua v. a. 1308, iul. 20 et 22.

83. — 1308, *sept. VII, Cremonae.*

Inventarium bonorum Zamboni de Bellotis.

Sono ricordati beni in loco Ronchi Perzani (Romperzagno), Rivarolo de foris, Calvatone, curia S. Paulli (riva d'Oglio), curia Moxii, in loco Gerondae (presso Bozzolo), colla coerenza di Bellotti (1).

(1) I Bellotti possedevano anche terre in Casalbellotto, che da loro trasse il nome. In un inventario infatti del 1354, 8 giugno, VII, Casalmaggiore, dei beni del fu Gherardo, detto Galeto di Dovara, della vicinia di S. Trinità o di S. Pietro di Cremona, e abitatore di Casalmaggiore, fatto, in presenza del console di giustizia di Porta Ariberti di Cremona, da Bela moglie di Ghirardo, e madre di Antonio pupillo suo, e figlia del fu Giacomo di Pizo, si numerano parecchie pezze di terra « in territorio Casalis de Bellotis » colla coerenza, molte volte, dei *Bellotti.* Si segna pure « una petia terre casamentie cum una turi cum roncis ».

84. — 1308, *oct.* 19, *VII, Cremonae.*

Nicolinus Burlenghus, profitendo se esse maiorem 20 annis et lege vivere longobarda, confitetur se accepisse ab Alario de Donnellis dante pro D. Stevanina dicta Bona eius nepote et sponsa dicti Nicolini, ibi ab eo cum anulo desponsata, in rebus mobilibus extiantis et in denariis 25 libras imp. Quam dotem promittit Alario, recipienti et stipulanti nomine dictae Stevaninae, ei dare et solvere in omni eventu exactionis et restitutionis dotis, donatione seu quarta cessante, propter statutum communis Cremonae quod obstat; pro quibus observandis obligat dicto Alario, stipulanti ut supra, omnia sua bona.

85. — 1308, *nov.* 4, *VII, Cremonae. D,* 79.

Pedalium impositum ad pontem Rioli, apud S. Martinum de Arzeno, per quatuor sapientes super avere et defensione gabellae et officio blavae et per quinque sapientes electos, secundum formam reformationum consiliorum generalium.

Infrascriptum est datium seu pedalium impositum ad pontem Rioli, apud sanctum Martinum de Arzino, per dominos Filipinum de Cervis, Bernardum de Cignono, Tomasinum de Stanghis et Iulianum de Rosanis, sapientes super avere et defensione gabelle et oficio blave, et per dominum Masenerium de Natalibus, Tomasinum de Mola et Rainoldinum Guaghis et Bonorinum de Ciria et Cabrinum de Rosanis sapientes, secundum formam reformationem consilium generalium, sub millesimo trecentesimo octavo, indictione septima.

In primis de quolibet plaustro mercadandie ponderata 2 sold. imper.

Item de qualibet careta mercadandie ponderata 12 denar.

Item de qualibet somaria et mullo mercadandie ponderata 6 denar.

Item de qualibet allia somaria et una asina ponderata 4 denar.

Item de quolibet equo de guarda et poledris sex denar.

Item de quolibet bove et vacha et asina duos denarios pro qualibet bestia.

Item de quolibet centenario pecudum et caprarum duos soldos imper.

Item de singulis decem porcis decem denarios, scilicet unum denarium pro quolibet porco et pro rata.

Item de quolibet plaustro ponderato de aliis rebus duodecim denarios.

Item de qualibet alia careta ponderata de aliis rebus sex denarios.

Item de quolibet plaustro et careta vacuis 4 denarios.

Item de quolibet homine ad equum duos denarios.

Item de quolibet homine ponderato ad pedes et non ponderato unum denarium.

Suprascripti sapientes, electi per dominos potestatem capitaneum consules et antianos Cremone, secundum formam reformationis conscilii generalis comunis Cremone, congregati cum predictis quatuor sapientibus et massariis comunis et gabelle Cremone, in concordia fuerunt, nemine discrepante, quod suprascripta gabella seu pedalium, pro ut superius scriptum est, exigantur per comune Cremone et per massarium, incontinenti eligendum per suprascriptos quatuor massarios, a quolibet transeunte super pontem Rioli, qui est apud sanctum Martinum de Arcino episcopatus comunis Cremone, dum tamen . . . . . sit vel mercatorum cum mercadandia, ut supra dictum est, sub millesimo trecentesimo octavo, indictione septima, die quarto novembris.

86. — 1308, *nov.* 10, *VII. Cremonae. Dall'Archivio Storico Siciliano, IV,* 1878.

Fratres Humiliati domus S. Guillielmi Cremonae, eligunt fratrem Angelerium et procuratorem constituunt, ut eat ad Ministrum generalem ordinis Humiliatorum, et ab eo impetret perfectam et plenam unionem Domus suae cum Domo nova sita in suburbiis Cremonae.

87. — 1308. *D,* 43.

Nota instrumentorum per quae Iulianus de Cerasiis, Pignellus de Burgo et Bonagutus de Verdellis, investiti fuerunt ab abbatibus gabellae, ad fictum annuum reddendum de glareis Padi, iuxta pontem infra, sub 1303, 1304, 1307, 1308; et quomodo dictus Iulianus affranchavit suas glareas.

88. — 1309, *D,* 13.

Nota instrumentorum per quae 21 homines civitatis investiti fuerunt a Gabella de quibusdam glareis Padi, quae sunt iuxta Pontem Padi, ab ipso ponte supra, inter utraque canalia, a. 1297, sept. et oct. X et XI; nota fictaliciorum qui investiti fuerunt in loco suprascriptorum, sub 1300, 1303, 1304, 1309; nota investiturae de uno loco super pontem omnium Sanctorum.

89. — 1309. *D*, 3.

Enumeratio datiorum communis Cremonae — datiorum quae debent solvere nonnulla communia districtus — terrarum, glarearum et stationum seu domuum spectantium ad gabellam, quorum pars data fuit ad fictum et pars empta fuit per commune ab anno 1290 usque ad annum 1309.

Datium sextarii vini curie domini episcopi.

Pedalium quod appellatur tansa de Malfiastris que solvitur per malgarios.

Datium duorum denariorum de libra, bestiarum que venduntur in civitate episcopatu et districtu Cremone per foresterios et ementur per eos, exceptis in locis ubi fiunt merchata comunia, quorum solvunt gabellas Gabelle et comuni Cremone, et in castro Sonzini.

Gabella et pedalium que exiguntur in episcopatu Cremone et districtu a strata Robecchi supra de pecudibus, multonis, capris, bobus, vachis, manzolis et eorum nascentibus et lana earum.

Gabella feni strami palee patucii lignorum et fornatium plebatus Calsi.

Datium de palificaturis molendinorum et de maxeris lini.

Gabella et datium quod exigitur a foresteriis de peciis fili.

Gabella et pedalium de porcis temporalibus qui conducuntur in civitatem et extra civitatem Cremone, de duobus denariis de libra.

Datium revenditorum et revenditricum pullorum ovorum et salvaticinarum.

Datium et gabella duorum denariorum de libra casei plani nostrani et lane nostrane et carnium siccarum, que venduntur et ementur in curia merchadandie et in civitate et suburbiis per foresterios.

Datium quod solvere debent illi qui adaquant prata et terras de aqua navilii, scilicet quatuor denariorum de pertica pro quolibet anno in kallendis agusti.

Datium barataríe maioris platee, sancte Agathe, et capitis pontis Padi.

Datium de herris et terris fornatium quod consuetum est vendi et venditur per gabellatores in Moseta ubi sunt fornaces.

Comune et homines Pizoleonis debent solvere pro gabella eis imposita de rebus traversiis tantum singulis tribus mensibus tres libras de illis decem libris quas solvere debebant et soliti erant solvere.

Comune et homines Robechi debent solvere singulis tribus mensibus viginti soldos pro quadam gabella eis imposita iam est diu. Sed non reperitur eos iam diu est aliquid pro ea solvisse.

Comune et homines Platine debent solvere singulis tribus mensibus octo libras imper. et incipiunt terminum die quartadecima mensis octobris et sic finitur in quartadecima die cuiuslibet tercii mensis.

Comune et homines Casallismaioris debent solvere singulis tribus mensibus decem libras et incipiunt terminum et finiunt illum ut dictum est supra.

Comune et homines Portioli debent solvere singulis tribus mensibus sex libras imper. et incipiunt et finiunt terminum ut supra.

Comune et homines Regazole debent solvere per totum annum sex libras imper. et incipiunt annum.

Comune et homines Guastalle debent solvere singulis tribus mensibus decem libras. Set non reperitur eos solvisse iam est diu.

Stacio draparie que fuit domini Manarini de Manariis afictata est Mafeo de Rosanis ad fictum reddendum annuatim pro sedecim libris imper. Et incipit terminus die vigesimo madii. De emptione cuius stationis et ficto predicto fecit cartam Petrebonus de Gossalengo notarius, millesimo ducentesimo nonagesimo secundo.

Glaria Comunis et Gabelle que est per medium et vicinias sanctorum Blaxii et Baxiani afictata est pro dimidia parte Petro de Rebuffatis, Lanfrancho de Puza, Albertino de Sadulo, Novellino de Crema, Gabrino de Acerbo, Albertino de Benedictis, Ottebono Bozono, Marchexino de Carravatio, Bonadeo de Stangonibus, Iacomino de Labordella, Gabrino Bellincasa, Bertolino Gatalario, Lafranco Senoldo et Bertolino de Oliveriis, vicinis viciniae sancti Blaxii, pro se et hominibus et vicinis dicte vicinie, ad fictum reddendum annuatim de ipsa medietate massario Gabelle quinque librarum imper. per totum mensem martii; et alia medietas est afictata Mafeo de Azanello, omnibus vicinis vicinie sancti Baxiani, pro se et hominibus et vicinis dicte vicinie, reddendo annuatim de ea ut supra dictum est ad dictum terminum quinque libras imper. de investitura. Cuius glarie fecit cartam Zumignanus de la Mola, millesimo ducentesimo nonagesimo tertio.

Terminus stationum Gabelle que sunt aput batisterium, in qua morantur dominus Filippus Veneticus et filii, est die vigesimo octavo mensis marzii.

Terminus alterius stationis Gabelle que est ibi prope, in qua stat Bernardus de Lamo, est die suprascripto.

Terminus alterius stationis Gabelle que est ibi prope, in qua stat Yzolinus Savius, est die vigesimo octavo martii.

Terminus alterius stationis magne, quam tenent Frederichus de Persighello et Omnebonum Cavedonus, est die primo madii.

Terre que fuerunt quondam domini Boxii de Dovaria iacentes in territorio Roche, Crucis Rupte (1) et Coste que empte fuerunt per Gabellam, salva ratione cuiuslibet pertice, date fuerunt hinc ad tres annos ad fictum Bertolino de Stanghis, Ghirardo de Alamannis cum sociis, pro triginta tribus libris

(1) Leggasi *Curtis Rupte*.

quolibet anno reddendis massario Gabelle, die vigesimo secundo madii, millesimo ducentesimo nonagesimo primo, ut apparet per libros Gabelle lucri massarii.

Statio draparie, que est in domo que fuit domini Manarini et quam ipse Manarinus vendidit Comuni, recuperata fuit per Gabellam precio centum librarum imper. a Rosanis, millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta. Et Petrebonus de Gossalengho fecit cartam aquisti.

Domus que fuerunt de Avocatis, super quibus edificatum est palatium nuper factum et porticus militum apud plateam maiorem, et que tenent usque ad stationem filiorum Cazafini et quibus coheret *a* heres dicti Cazafini *a a* via *a* heres domini Manuellis quondam de Zanebonibus sive quedam stricta ingressus, empte fuerunt per Gabellam precio quatuorcentum sexaginta duarum librarum imper. sub millesimo ducentesimo nonagesimo (1). Et Nicolinus Casella notarius fecit cartam aquisti.

Domus sive stationes que fuerunt de Avocatis cui coheret *a* batisterium et piazola que est per medium batisterium a sero parte *a* domus Gabelle sive ingressus *a* Zanebonus et Gabrinus et Petrinus de Avocatis *a* via, empta fuit per Gabellam precio octuaginta quatuor librarum imper. sub predicto millesimo, et suprascriptus Nicolinus notarius fecit cartam aquisti.

Alia domus que est ibi prope cui coheret *a* domus Gabelle sive stricta ingressus *a* via *a* episcopium Cremone, empta fuit per Gabellam a Zanebono Gabrino et Petrino de Avocatis precio octoginta librarum imper. sub predicto millesimo, et suprascriptus Nicolinus notarius fecit cartam.

(2) Domus que est per medium domorum de Zanebonibus et que fuit domini Mazole de Oldovrandis, cui coheret *a a* via ab alia episcopium Cremone, et quam vendidit Gabelle Cremone precio centum et viginti quinque librarum imper. sub millesimo trecentesimo indictione decima tertia. Et Iulianus de Trento fecit cartam.

(3) Domus seu stacio, que est in palatio comunis Cremone iusta turrim ipsius comunis, fuit locata Bonino Carenzano usque ad unum annum pro pretio quinquaginta soldorum imper. sub millesimo trecentesimo nono indictione octava die mercurii decimo nono novembris.

90. — 1309, *ian.* 7, *VII, Venetiis.*

Domini de Quirinis constituunt Lanfrancum de Cappo de Mantua, habitatorem Venetiarum, procuratorem suum.

91. — 1309 (1308 *inc.*), *ian.* 14, *VII, super palatio gab. Cremonae. D*, 74.

Fines factae massariis generalibus communis et gabellae — 3 — de toto stipendio per Antonium de Senis, olim conestabilem equestrem in servicio Cremonae.

92. — 1309 (1308 *inc.*), *ian.* 18, *VII, Cremonae ?*

Inventarium bonorum Bedini q. de Schicis, patris Niccolini et Maffini.

Aveva una pecia terrae casamentiae cum uno pallacio ruinato super iacente in territorio Pradabisi, intus ? castrum episcopi Cremonae, cum sua parte dicti castri. Seguono altre pezze dalle cui coerenze risulta che Pradabiso era vicino all'Oglio, presso il naviglio, e le coerenze sono di altri Schizzi (4). Poi beni in Azzanello, pure vicino all'Oglio e al naviglio, con diritti sulle acque del fiume. Altri beni sono accennati in Brodolano, Casalbuttano, Casalmorano, ecc. Pochissimi mobili, fra i quali: duo pulvinaria, una gansaxa.

93. — 1309 (1308 *inc.*), *febr.* 9, *VII, super palatio merchandiae Cremonae.*

Consilium merchandiae statuit quod super domibus, stateriis et aliis redditibus merchandiae acquiratur pecunia ad tollendas represalias Venetiarum contra Cremonenses. — Item constituit duos correrios, sindicos ad praedicta perficienda. — Consules merchandiae et quatuor consules communitatis et octo sapientes merchandiae et comunitatis dant plenam bayliam uni praeconsuli merchandiae pro supradictis denariis habendis.

I.

✝ Anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo octavo, indictione septima, die nono februarii. Congregato consilio merchandie Cremone generali super palatio dicte merchandie, sono campane et voce preconum more solito, in quo quidem consilio erat domini Nicolinus de Doxeno preconsul merchandie, et quatuor ex consulibus dicte merchandie et tres ex consulibus comunitatis et octuaginta credenderii et plus secundum formam statuti merchandie, dominus Nicolinus preconsul de voluntate dictorum consulum merchandie et comunitatis proposuit et consilium sibi dari requisivit super infrascriptis.

Primo, cum occasione tollendis represaliis que habentur contra comune merchatores et singulares personas civitatis Cremone per comune Veneciarum seu per aliquas singulares personas civitatis eius-

(1) Leggasi 1292.
(2) Di altra mano.
(3) Di altra mano.

(4) Pradabisio, come già si notò altrove, è l'antico Pratobisio, l'attuale Castel Visconti.

dem sit necessaria pecunia in masima quantitate et ad presens notum sit quanta pecunia sit necessaria predicta occasione, et cum dificile sit congregare consilium merchandie pro predictis et aliis necessariis ad dictam merchandiam, et cum sit valde utile et necessarium dicte merchandie et merchatores civitatis Cremone quod dicte represalie tolantur, et cum valde dannosum sit merchatoribus civitatis Cremone quod dicte represalie firme remaneant. Idcirco si placet vobis quod super domibus, redditibus, stateriis et aliis reditibus dicte merchandie Cremone possit accipi semel et pluries denarii necessarii ad predictas represalias tollendas. Et quod predicta occasione possit vendi et incantari et pignori alienari de dictis domibus, stateriis et pasis et aliis reditibus et obventionibus dicte merchandie ad tempus magnum et parvum, pro ut melius fieri poterit, per recuperationem dictorum denariorum qui fuerunt necessarii semel et pluries pro tolendis dictis represaliis, et quod ad predicta possit fieri sindicus ad vendiciones, delegationes et alias promisiones faciendas que fuerint necessarie utiles et oportune in predictis et circa predicta. Et si placet vobis quod predictus dominus Nicolinus cum consulibus merchandie et comunitatis et sapientibus civitatis seu maiori parti ipsorum possit habere et habeat plenum et liberum arbitrium et plenam et liberam bayliam recuperandi semel et pluries pecuniam necessariam utilem et oportunam predicta occasione, et quod posit vendere, aligenare, obligare, incantare de rebus, reditibus, stateriis, pasis et aliis reditibus merchandie, pacta et convenciones facere, promisiones et obligationes cum pena et sine pena, cum pignoribus et sine ad tempus magnum et parvum, pro ut eis videbitur et fuerit in concordia cum contraentibus seu recipientibus de bonis et rebus dicte merchandie, et quod in predictis et predicta posit facere complere et executioni mandare promisiones et obligationes facere a se et per se sine aliquo alio consilio et sine alio aliquo sindico constituto vel constituendo pro ut melius placuerit se cum cuntraentibus vel quasi predicta occasione et quod pro dictis et circa predicta vel occasione predictorum consulatis quidquid vobis videtur.

Ad que suresit dominus Zoanninus de Stagnatis et consuluit quod in omnibus et per omnia procedatur et fiat et firmum sit pro ut in proposta plenius continetur et tantum plus, quod omnia ea et singula possint fieri in predictis et circa predicta pro confirmàcione eorum et iuris eorum qui contraent seu denarios dabunt predicta de causa, que fuerint necessaria utilia vel oportuna, et de quibus fuerint in concordia cum ipsis contraentibus hac si per presens consilium fuissent facta et confermata seu promisa.

Reformato predicto consilio et facto et revoluto partito per predictum dominum Nicolinum pro se et dictis sociis suis cum busolis et balotis, ili qui voluerunt quod in predictis omnibus et singulis procedatur et fiat, pro ut propositum et consultum est per predictum dominum Zoanninum, ponentes balotas suas in busola vermilia, que aprobabat predicta fieri debere, fuerunt numero centumdue, et ili vero qui contrarium voluerunt, ponentes balotas suas in bussola galda que reprobabat predicta fieri non debere, fuerunt numero duo. Testes Bonzaninus de Sesto, Farulfinus, Mafeus et Petrus de Oxilia correrii merchandie.

† Ego Ambroxinus de Blancha notarius a comite Sancti Bonefacii et notarius dicte merchandie predictis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

II.

† Anno dominice incarnationis millesimo trecenteximo octavo, indicione septima, die nono februarii, in palacio merchandie Cremone, presencia Bonzanini de Sesto, Farolfini correrii et Petri de Oxilia correrii, ibi testium rogatorum. In pleno et generali consilio merchandie Cremone, super palacio dicte merchandie congregato sono campane more solito, in quo quidem consilio erant centum credenderii et plus, dominus Nicolinus · domini Mafei condam de Doxino, preconsul dicte merchandie, de voluntate domini Egidioli de Blancha preconsuli, Guillielmi de Moschardis, Chabrini de Porcellis et Facioli de Barbata consulum merchandie, et dominorum Melioli de Siginbaldis, Moroelis de Mazinpedibus et Bertolamei de Zubianis cunsules comunitatis eiusdem, et consiliariorum esistencium in ipso consilio, et ipsi consiliarii cum eis et quis et quilibet eorum melius posunt et potuerunt, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suos et dicte merchandie noncios, sindicos et procuratores, et quo modo et nomine melius noncupari posunt, Farulfinum et Mafeum correrios presentes et recipientes et quemlibet eorum in solidum, ita quod ocupantis non sit melior condicio et quod unus eorum inceperit alius posit persequi, mediare et fenire, ad alodium vendendum seu pignori obligandum, prout melius fieri poterit, de bonis et rebus dicte merchandie mobilibus et immobilibus et dacia staderiarum ipsarum in civitate Cremone et in districtu et omnes alios reditus et obvenciones dicte merchandie, in perpetuum et ad tempus magnum et parvum semel et pluries, prout necese fuerit et utile dicte merchandie, pro recuperando et habendo semel et pluries a quacumque persona volente contrahere cum ipsa merchandia pecuniam necesariam seu utilem pro tolendo seu solvendo represalias quas hodie comune Veniciarum seu singulares persone dicte civitatis contra comune Cremone et singulares personas et merchatores civitatis Cremone, et ad faciendum omnia data, omnes promisiones et confesiones promisionibus et obligacionibus cum pignoribus et sine, cum pena et sine pena, convenciones et terminos colochandos predictis de causis ad dicta pacta facienda et inferenda, prout melius fieri poterit, et secundum quod emtores seu contraentes fuerint in concordia cum ipso domino Nicolino et consulibus merchandie et comunitatis, dantes et concedentes predictis suis sindicis et procuratoribus et cuilibet eorum modo predicto plenum et liberum et generale mandatum et generalem administracionem dicendi, promitendi . . . . . et obligandi de bonis et bona merchandie faciendi quod sibi melius videbitur et melius fieri poterit, prout in

predictis et circa predicta, et ad confirmacionem predictorum promittentes mihi notario infrascripto, stipulanti et recipienti nomine et vice corum interest seu interesse poset, se in perpetuum pro se et suos sucesores habituros firma et rata et non contravenire sub obligacione omnium bonorum dicte merchandie.

† Ego Ambroxinus de Blancha, notarius a comite sancti Bonefacii et tunc notarius dicte merchandie, predictis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

III.

† Anno dominice incarnationis millesimo trecenteximo octavo, indictione septima, die nono februarii, in Cremona super palacio merchandie Cremone, presencia Bonzanini de Sesto et Farolfini correrii, ibi testium rogatorum.

Cungregati consules merchandie et consules communitatis et sapientes merchandie super palacio dicte merchandie more solito, secundum reformationem consilii generalis, silicet domini Nicolinus de Doxeno, Egidiolus de Blancha, Guilielmus de Moschardis, Faciolus de Barbata, Bernardus de Rubecis consules dicte merchandie; Benevenutus de Verdellis, Moroel de Mazinpedibus, Meliolus de Singeboldis et Bertolameus de Zubianis consules communitatis; Nicolaus de Paterno, Lafranchinus de Raymondis, Monbellinus de Monbellis, Albertus Roba, Nicolinus de Robecis, Bertolinus de Vayrano, Simoninus Cavalerius et Bernardus de Verdellis sapientes dicte merchandie et communitatis; omnes predicti fuerunt in concordia, facto partito inter eos per dominum Nicolinum preconsulem pro se et sociis suis ad busolas et balotas, omnes in concordia, nemine discrepante, ponentes balotas suas in busola vermilia fuerunt numero decem et septem, in galda nulus, quod dominus Nicolinus preconsul cum consulibus communitatis habeant bayliam et possint acquirere pecuniam necessariam pro predictis represaliis tollendis et removendis super domus et aliis reditibus merchandie, semel et pluries, in magna quantitate et parva, ad tempus magnum et parvum, ut consuluit dominus Moroelus de Mazinpedibus, qui consuluit ut supra scriptum est, facta proposta per dominum Nicolinum pro se et sociis suis supra predictis.

† Ego Ambroxinus de Blancha, notarius a comite sancti Bonefacii et tunc scriba ad officium merchandie predicte, predictis interfui et hanc cartam scripsi.

94. — 1309 (1308 *inc.*), *febr.* 12, *Cremonae, super palatio veteri, in consilio gen. comm* (1).

Consilium, praesente Bertario de Advocatis potestate, constituit Leonardum tubatorem sindicum ad concedendum Lanfranco de Cappo socio et procuratori de Quirinis, solutionis nomine, medietatem reddituum aquae et stratae Padi, tam de botono et datio salis quam de aliis mercationibus, pro 10595 libris et 13 soldis imper. quas debent adhuc habere, occasione contractus salis.

(V. a. 1304, iun. 26, et 1309, ian. 7).

95. — 1309 (1308 *inc.*), *febr.* 19, *VII, Cremonae. D*, 75.

Fines factae per Baxanimum de Anchona, viciniae S. Galli, quatuor massariis generalibus communis et gabellae, Zoanino de Zossano, Alinerio de Alineriis, Philipino de Piperariis et Guascono de Cagaferis, de eo toto quod recipere debebat occasione contractus salis, 1308, apr. 26.

96. — 1309 (1308 *inc.*), *mart.* 11, *VII, Cremonae. D*, 77.

Fines factae massariis - 3 - gabellae a Zusio de Peruxio, olim conestabili equitum Cremonae, de eo toto quod recipere debebat. (V. 1309, mar. 11, C, 218).

97. — 1309 (1308 *inc.*), *mart.* 19, *VII, Cremonae. D*, 76.

Fines factae massariis - 4 - generalibus gabellae et fratri Conrado priori Valisvirdae massario pontis Padi, per Banchum Benzevegnam et Bertolinum Brocardum, nomine quoque Donati Bandini, Chelli Brocardi, Simonis Baioni et Vaimi Avizini de Florentia, et Meuricii de Senis, mercatores, de 600 libr. imp., quas tempore Ottonis de Canali (1307) commodaverunt pro affrancanda gabella massario Pontis Padi, hoc pacto quod essent compensati de dacio merchandiarum quas Cremonam ducerent.

98. — 1309, *mart.* 27, *VII. D*, 78.

Recordatio trium legatorum factorum gabellae pro usuris et pro male ablatis, a Roberto Capra, Ghirardo de Persico, et Franzono de Persico.

(1) Questo documento trovasi pure in copia autentica nell'Archivio Notarile di Cremona insieme agli atti del gennaio e febbraio riferibili allo stesso oggetto. Da documenti dell'Archivio Comunale risulta che solo nel 1341-5 fu appianata la vertenza fra i Quirini e il Comune per il contratto del sale.

99. — 1309, *apr.* 30, *VII*, *Cremonae*. *D*, 80.

Summa denariorum quos habuerunt et compensaverunt Lanfrancus de Cappo et Quirini de eorum merchatandiis per eos conductis ad Cremonam, a 14 febr. praeterito usque per totum aprilem, est de 871 libris et 8 soldis et 4 den. imper.

100. — 1309, *mad.* 28, *IX*, *Placentiae*. — *Dal* Campo. *Crem. fed.* 63.

Iulianus de Summo, potestas et capitaneus Placentiae, et sapientes communis provident quod negotium Sommini de Summo, pro quo venerunt ambaxatores a Cremona, differatur.

101. — 1309, *iun.* 4, *VII*, *Mediolani*. *CM.* Domaneschi, *De rebus caenobii cremonensis ord. Praedicat. p.* 23.

Litterae Castoni Turriani, archiepiscopi mediolanensis, quibus 40 dierum indulgentiam impertitur, omnibus qui templum S. Dominici Cremonae invisant et in id perficiendum ornandumque aliquam operam conferant.

102. — 1309, *iul.* 8, *VII*, *Cremonae*.

Inventarium bonorum Ruyni de Schicis, factum a D. Bartolamea uxore q. Folchini de Schicis patris Ruyni, tutrice Alariolae filiae et heredis dicti Ruyni.

Trovano: medietatem pro indiviso unius peciae terrae casamentiae cum una turi iacentis in castro Didone, cum sua parte dicti castri. Era in comunione con Lanfranco de' Schizzi. Poi la metà altresì: 1° di una casa nel borgo, cinto da fossato, di Castel Didone; 2° di altre pezze di terra nel detto territorio, pro indiviso; 3° di una casa in Scandolara Ripa d'Oglio, e di altre pezze di terra, ivi; 4° di una casa in vic. burgi S. Stephani Portae Natalis e di un'altra casa in vic. burgi S. Stephani Portae S. Laurenti, con tre botteghe, coerenti a tutte altri Schizzi.

103. — 1309, *iul.* 10, *VII*, *Cremonae*.

Massarii Gabellae, Iacominus de Gadio et Meliolus de Singheboldis, pro se et sociis suis qui appellabantur quatuor massarii gabellae, collaudant laboreria facta, expensis gabellae, a Graciollo de Caso fictalicio gabellae, in quadam stacione et solarollo et palaciollo.

104. — 1309, *iul.* 17, *VII*, *Cremonae*. *D*, 52.

Investitura de pecia terrae casatae seu domibus et stationibus in vicinia maiori piscariae in curia episcopi, ad fictum reddendum, facta per Iacominum de Piornis, abbatem gabellae, in magistrum Bonzaninum de Coleclo et Nicolinum de Vidalengo.

105. — 1309, *iul.* 19, *VII*, *Cremonae super palatio veteri in consilio gen. Communis*.

Consilium potestas capitaneus consules et antiani constituunt tubatorem sindicum ad faciendum datum, per sex annos, Petro Iacomo de Zichignonibus et Cresino eius fratri, et Graciolo de Crasso, Zaneto de Portiolo et sociis de domibus et stationibus, in vicinia maiori piscariae, prope plateam et palatium Comunis, quae fuerunt Advocatorum et Lioncini de Rubeis, causa 150 libr. imp. mutuo acceptarum a Comuni.

106. — 1309, *id. id.*

Consilium constituit eumdem sindicum ad faciendum datum, per sex annos, praedictis fratribus de Zichignonibus, Graciolo de Tansa et sociis, de aliis domibus in vicinia maiori piscariae, cohaerentibus platea Comunis et via.

107. — 1309, *iul.* 26, *VII*, *Cremonae super palatio veteri*.

Instrumenta duo venditionis praedictarum domorum.

108. — 1309, *aug.* 7, *VII*, *Cremonae*. *D*, 81.

Summa quam Sandonius de Lalora recipit in denariis numeratis et in compensis factis pro parte ei contingenti per totum mensem iulii est de 45 libris et 10 soldis et 7 den. imper.

(V. a. 1309. febr. 20).

109. — 1309, *sept.* 24, *VIII*, *Cremonae*.

Inventarium bonorum Boxelini filii D. Grigorii de Summo, factum a Manglarino

de Talgate, qui datus fuit eidem Boxelino tamquam tutor a Faciolo de Barbata, consule iusticiae Portae Pertuxii, cum pater eius sit banitus comunis Cremonae.

Si nota l'ottava parte pro indiviso 1° di un podere con 3 case in Sommo, di 8 pertiche. 2° di un podere con case, di 4 iugeri in Polesine San Vito, 3° dei diritti che Gregorio aveva nelle case di Longaro di Sommo, nella vicinia di San Leonardo, 4° di tutti i beni mobili ed immobili del detto Gregorio (1).

110. — 1309, *oct.* 30, *VIII*, *Cremonac. D*, 82.

Summa quam recepit in pecunia numerata Lanfrancus de Cappo pro parte partis ei propriae contingentis pro mensibus iulii, augusti et septembris est de 90 libris imper. et summa recepta in compensis factis de sale et mercadandiis, est de 66 libris et sold. 3 et 1 den. Summa recepta a Sandonio de Lalora pro parte partis propriae ipsi contingenti mensibus augusti et septembris in pecunia numerata et compensis est de libris 10 et sold. 4 et den. 2.

(V. a. 1309, febr. 12, febr. 20 et aug. 7).

111. — 1309, *nov.* 17, *VIII, Cremonac. D*, 85.

Recordatio quomodo dacia videlicet gabella tranversia a strata Robecchi supra et inferius, dacium de lana et caseo nostrano, tansa de Malfiastris, patucium sbrivium et fornaticum plebatus Calzei, praecepto abbatum gabellae incantata sunt et data per 10 annos et pro 600 libris Nicolino de Bonisbeccariis, Lanfranchino de Raymondis et Nicolino de Cavaleriis.

112. — 1309, *dec.* 16, *VIII, Cremonae. D*, 83.

Petrus de Lafera, procurator Lanfranchi de Cappo, recipit a massariis gabellae 63 libras imper. quas compensavit in una nave salis, et 4 libras et 19 soldos imper. pro aliis compensis de parte ei contingenti. Schenardus de Puyana de Mantua, emptor a Sandonio de Lalora de omnibus suis iuribus, recipit 25 libras et 15 sold. imper. Praedictus Petrus recipit alias 37 libras et 16 soldos imper. (V. a. 1309, oct. 30).

113. — 1309, *dec. VIII, Cremonac. D*, 84.

Consilium 15 sapientum super quaestione dacii vini et furni capitanei (V. a. 1309, sept. 8 et oct. 26): quod sententiae et provisiones in favorem gabellae debeant inviolabiliter observari et emptores habeant et debeant tantum habere 3 den. de libra pro dono seu interesse.

Nomina sapientum: Egidiolus de Piperariis, Carlinus de Madalbertis, Maninus de Persico, Guillelmus de Segafenis, Nicolinus de Cervis, Amadeus de Barexellis, Bernardus de Cignono, Guarenzinus de Michariis, Egidiolus de Alegris, Zohaninus de Tinctis, Petrus de Gosalengo, Iacominus de Pizenis, Rafagellus de Roncho, Zohaninus de Doxino, Zohaninus de Casamalla.

114. — 1309-10, (*dec.-mart.*) *Cremonac. D*, 84.

Summa denariorum recepta a Petro de Lafera, procuratore Lanfranchi de Cappo, et Schenardo de Puianis in compensis factis vel pecunia numerata de introitibus pontis Padi, a dec. 1309 usque ad totum martium 1310 (V. a. 1309, dec. 16), scilicet 38 sold. imp., et 2 den., et 30 libr. imp., et 126 libr. imp., et 56 libr. imp., a Lanfranco, et 10 libr. imp et 25 libr. imp., a Schenardo.

115. — 1310, (*ian.-iun.*) *Dal* Vignati, *Cod. Dipl. Laud. III*, 473.

Litterae Petri Confanonerii de Lavillata, potestatis, Raynerii de Bergoyosis, capitanei, consulum, antianorum, et consilii Cremonae, ad Nicolinum domini q. Mafei de Doxino potestatem et Comune, Laudae, quibus exorant ne homines Pizeleonis impediantur quominus adducant fruges a terris quas possident in curia

(1) Altri inventari dei beni dei Sommi sono i seguenti: 1308 (1309) 16 febbraio, VII, di Somino Sommo; 1341, giugno 13; IX, di Oprando Sommo; 1363 (1362 inc.), marzo 6, I, di Rainaldo Sommo; 1364 (1363 inc.), febbraio 13, II, di Ughino Sommo.

Maley, ultra Abduam, et dicunt se paratos esse ad rationem et pacta facienda de discordiis inter homines Pizeleonis, districtus cremonensis, et homines Maley, districtus laudensis.

116. — 1310, *mart.* 25, *d. Avinione. Dal* Sommi - Picenardi, *La famiglia Sommi*, 25.

Clemens V episcopo Placentiae mandat ut citet coram se Cinellum de Summo, canonicum cremonensem, et Spinellum et Anselmum eius fratres, clericos, qui pecuniae causa, Geraldum, abbatem monasterii S. Laurentii Cremonae, fecerant occidi, et Abraham, successorem eius, gravissimis iniuriis affecerant (1).

117. — 1310 *iun.* 27, *VIII, Cremonae. Dal* Bonaini, *Acta Henrici VII, I*, 23.

Gerardus Costantiensis et Syfridus Curiensis episcopi, aliique Henrici ambaxatores, potestati capitaneo clero et populo de Cremona de maiori consilio, proximum nunciant imperatoris adventum et quae ab eorum fide expectentur. Ad quae Cremonenses respondent quod habere volunt D. Papae consilium et sicut ei videbitur ita se habebunt.

118. — 1310, *iun.* 28, *VIII, Cremonae. D*, 86.

Scenardus de Mantua recipit a massariis gabellae 21 libras pro mensibus aprilis et madii (V. a. 1309, dec. 16 et 1309-10).

119. — 1310, *id. id. D*, 87.

Procurator Lanfranchi de Cappo pro mensibus aprilis et madii recipit libras imp. 105.

120. — 1310, *iun.* 30, *VIII, Cremonae. D*, 88.

Ghirardus de Gavaciis et Iuvanus de Roncharolo et socii, massarii gabellae, solvunt procuratori Lanfranchi de Cappo 50 libras imper. pro mense iunii.

121. — 1310, *id. id. D*, 89.

Massarii solvunt Scenardo de Mantua pro mense iunii 10 libras imper.

122. — 1310, *VIII et IX, Cremonae. D*, 90.

Massarii -4- generales gabellae solvunt aug. 3, heredi Schenardi de Mantua 10 libras. Item sept. 19 procuratori Lanfranchi de Cappo 90 libras. Item Sandonio de Lalora 10 libras imper. Item aug. 8 Guilielmo et Iacomo et heredi quondam Marsilii de Cavalcabobus de introitibus pontis Doxoli, de mense iulii praeteriti, 50 libras imper. Item sept. 29 Guillielmo et Iacomo praedictis de denariis pontis Doxoli de mense aug. et sept. 53 libras. Item 29 sept. procuratori Lanfranchi de Cappo 53 libras et 4 sold. imper.

123. — 1310, *sept.* 19, *VIII, Cremonae, super palatio veteri in cons. gen. communis.*

Consilium, ex forma statuti populi et consilii sapientum, statuit quod ad recuperandum relevandum et infortiendum castra et terras S. Martini de Arzeno et terras francas Doxoli Luxariae e Guastallae, accipiantur mutuo 600 librae imp. a Guilielmo de Cavalcabobus, et ei fiat datum de redditibus Guastallae et bonis bandezatorum dictae terrae et de dono et interesse denariorum quos homines Guastallae mutuaverunt communi Cremonae pro affrancando gabellam.

---

(1) « L'abate Gerardo, scrive il Sommi-Picenardi, della famiglia dei Bezani, come si ha da una iscrizione del Codice Picenardiano, pag. 64, nel 1293 era stato priore nel monastero di S. Vittore in Cremona, mentre in quello di S. Lorenzo, fin dal 1282 (V. Codice Picenardiano, pag. 63) era abate Conte de' Bezani. Essendo al suddetto Gherardo succeduto nella dignità abbaziale di S. Lorenzo Abramo de' Bezani, di cui è cenno in questo documento, bisogna inferirne che il governo di questo cenobio fosse quasi ereditario in cotesta famiglia, che ignoro se fosse cremonese; tanto più che, almeno secondo il Luchini (Storia della civiltà diffusa dai Benedettini nel Cremonese, ecc.), nel 1381 un Alberto de' Bezani (e non Bozani, com'egli scrive) era abate di S. Lorenzo ».

Che una famiglia Bezani esistesse in Cremona nel secolo XIII, è provato dai *Laterculi* del Torresino, all'anno 1279, 1288, ecc. (Muratori, R. I. S. VII). E fino dall'anno 1044, gennaio 26, è ricordato fra i vassalli del vescovo Ubaldo, un Adamo Bezani.

124. — 1310, *sept.* 29, *IX, in camera communis Cremonae. D*, 95.

Venditio de praedictis proventibus facta per tubatorem sindicum Communis Guilielmo Cavalcabovi, praesentibus potestate capitaneo consulibus antianis populi abbatibus gabellae et massariis generalibus.

125. — 1310, *oct.* 6, *IX, Cremonae.*

Inventarium bonorum Iohannis de Plaza, vic. S. Andreae.

Fra i crediti: a Gabella et comuni Cremonae in dacio et de dacio salis 75 libras imp. scilicet 25 libras imper. quas mutuavit super ipso datio et 10 libras imp. de quibus acquisivit iura a Thomaxio et Zanono de Ho in dicto datio, et 5 libras imp. de quibus iura acquisivit a Lanfranco de Ho, et 25 libras imp. de quibus iura acquisivit a Bonaventura de Dolcevitis, et 10 libras imp. de quibus acquisivit iura ab herede Mancini Casellae.

Inoltre: 1 codicem, 1 digestum vetus, 1 digestum novum et 1 inforciatum e 1 volumen legum et 1 librum decretalium et 1 librum domini Dini.

Poi, 1 mantellum drapi blaveti de ultramonte, 6 linteamina magna a lectulo suo et 6 parva ad cavalchandum, etc.

126. — 1310, *oct.* 30, *Cremonae.*

Massarii gabellae solvunt Lanfranco de Cappo 6 libras imper. et 7 soldos et 5 denarios pro expensis factis (V. a. 1310, iun. 28, D, 82; 1310, iun. 30, etc.).

127. — 1310, *dec.* 21, *IX, in domibus gab. Cremonae. D*, 96.

Abates investiunt usque ad tres annos ad fictum reddendum Marchisium de Regociis de loco iacente iuxta scalas per quas ascenditur super gabella, qui locus tenet sicut tenent scalae ligni et lapidis usque ad cantonum ubi est S. Maria.

128. — 1310, *dec.* 31, *IX, Cremonae. D*, 91.

Massarii -2- generales gabellae solvunt procuratori Lanfranci de Cappo, 423 libr. et 5 sold. et 10 den. de denariis introitus pontis Padi — Item solvunt notario gabellae pro quodam registro novo occasione Lanfranci de Cappo et pro suo laborerio 40 sold. imp. et... Item solvunt Sandonio de Lalora 14 libras et sold... — Item heredibus Scenardi de Mantua 30 libr. imp. et den. ... (V. a. 1309, febr. 12) — Quorum denariorum pars compensata fuit in dacio de certis merchatandiis ductis ad pontem Padi.

129. — 1311, *ian.* 4, *IX, Mediolani. Dal* Bonaini, *Acta Henrici VII, I*, 117. Doenniges, *Acta Henrici VII, I*, 25.

Ribaldus de Avenariis, sindicus Cremonae, oboedientiam et fidem iurat imperatori Henrico.

130. — 1311 (1310 *inc.*), *ian.* 8, *IX, super palatio Comunis Cremonae. ASM.*

Alariolus de Caduris notarius, una cum tribus notariis, testatur legisse in quodam libro extimationum podenderiorum et redeuncium episcopatus Cremonae, compilato tempore potestatiae Adhegherii de Yzolla et Petri Servadei eius iudicis ad officium libellorum deputati generalis, 1270, XIII, quendam capitulum scriptum sub titulo « Porte Ariberti. De Clausis Cremone. Valent pertice terre infra unum milliare tres libras imp. pertice; ab uno milliare supra, usque ad dua, quadraginta sol. imp. pertice; item a duabus miliaribus supra usque ad tria triginta sol. pertice terre » (1).

131. — 1311, *ian.* 8, *IX, Mediolani, in domo Iacobini de Redenascho. Dal* Doenniges, *Acta Henrici VII, II*, 128.

Extrinseci de Cremona, quorum Nicolinus de Dovaria et Iacobinus de Redenascho antiani sunt (sequuntur 56 nomina: Manfredinus Pelavicinus f. Uberti, complures de Redenascho, de Vida, Fraganeschis, Pedrezanis, Zaccaria, Ghiroldis, La cella, Zanebonis, Boccaciis, Nuptiis,

(1) Nel 1234, 27 ott. VIII, in Guasto, Guiscardo di Giroldo vende mezza bibulca di bosco per 11 sol. imp. Nel 1268, 8 mar. VII, in Cremona, si vendono ad allodio 22 pertiche di orto e brolo, nella vicinia di S. Sepolcro, per 5 libbre imper. Nel 1275, 23 febbr. in Cremona, 4 pertiche di campo per 5 libbre imp. poste nei chiusi; nel 1310, 1 sett. 14 pertiche di campo per 14 l. i. in Genivolta.

Advogadris, Oddonis, etc. de civitate et de districtu), suo nomine et omnium Cremonensium de parte imperiali, ordinant Car. et Nic. Frixonum sindicos ad comparendum coram imperatore et ad adimplendo omnia eius praecepta de pace ineunda cum intrinsecis.

132. — 1311, *ian.* 10, *IX*, *Cremonae. Dal* Bonaini, *op. cit.*, *I*, 147.

Procurator comm. Cremonae renovat sacramentum fidelitatis, coram Henrico VII imperatore, populi voce acclamante.

133. — 1311, *ian.* 14, *Mediolani. Dal* Doenniges, *op. cit.*, *I*, 35.

Praecepta Henrici VII, pro pace fienda inter Cremonenses.

134. — 1311, *ian.* 30, *Cremonae. Dal* Doenniges, *op. cit.*, *II*, 137.

Nicolaus de Marimolis, iudex vicarius et assessor D. Francischi comitis de Cravisana, generalis vicarii in civitate Cremonae et districtu imperatoris, et consilium Cremonae, faciunt sindicum ad comparendum coram vicario generali imperatoris ad assumendum portionem dicto communi contingentem de stipendiariis faciendis, quos vicarius habere debet, et ad promittendum stipendia.

135. — 1311, *febr.* 8. *Dal* Doenniges, *op. cit.*, *VII*, *II*, 139.

Constitutio de re militari in Lombardia, qua civitates communia burgi marchiones, etc., e quibus Cremonenses, promittunt solvere summas statutas pro salario Amedei comitis Sabaudiae, vicarii generalis in Lombardia, et pro stipendio equitum peditum et iudicum.

136. — 1311, *mart.* 5, *IX*, *Mediolani. Dal* Böhmer, *Acta imp.*, 796. *Dal* Bonaini, *Acta Henrici VII*, *I*, 170.

Henricus VII cassat et irritat omnia privilegia et concessiones factas per ipsum seu per praedecessores suos ribellibus et specialiter Cremonae et Cremae.

137. — 1311, *apr.* 22, *IX*. *Dal* Bonaini, *op. cit.*, *II*, 28.

Epistola reipublicae Florentiae com. Cremonae, qua nunciat, milites, quos ad ipsum mittere vult, paratos esse, et tutius iter sibi monstrari petit, dum regiense existiment male securum ex quo ea civitas cum imperatore consensit; sed ni copias ob metum, pecuniae subsidium tamen mittet, dummodo Cremonenses suam libertatem defendant et ab oboediendo imperatori cessent.

In fine della lettera si dice: de dicta materia scriptum est Raynerio de Bondelmontibus, capitaneo Cremonae.

138. — 1311, *apr.* 26, *IX*, *in palacio communis Pizeleonis. Dal* Bonaini, *op. cit.*, *I*, 177.

Tedoldinus de Guidolato de Florencia, vicarius imperatoris et D. Guidonis Dalfini domini Montalbani, cum consensu consiliariorum et antianorum et credenderiorum Pizeleonis, facit duos procuratores ad iurandam fidelitatem et oboedientiam Henrico VII et ad supplicandum de franchitate et libertate castri.

139. — 1311, *mad.* 10, *IX*, *Cremonae. Dal* Doenniges, *op. cit.*, *II*, 148.

Sententia quae ab Henrico VII lata est contra homines Cremonae et contra Guidonem de Turre (transumpta die 28 mad.): Sequuntur nomina civium ribellium de quatuor portis.

140. — 1311, *post* 18 *mad. Senza data. Doc. cartacco.*

Petitiones Axerbini de Bargono, Rufini de Carlonibus et Chechi de Cazago ad Ricardum de Tizonibus, vicarium imperatoris in Cremona, qui cum 25 sociis pro quolibet eorum et per quatuor menses volebant esse ad soldum communis Cremonae.

Infrascripta sunt que petunt vobis domino Ricardo de Tizonibus, vicario domini imperatoris in civitate Cremone, domini Axerbinus de Bargono, Rufinus de Charlonibus, et Checus de Cazago.

Primo petunt securitatem eis dari pro quatuor mensibus pro XXV sociis pro quolibet eorum, ad racionem VIIII librarum imperialum pro equo et runcino.

Item petunt quod sibi solvatur de uno mense incontinenti facta monstra.

Item petunt pagam duplicem pro eorum personis.

Item petunt pagam integram pro trombeta.

Item petunt pagam integram pro bandera.

Item petunt quod sibi solvatur infra decem dies mensis.

Item petunt quod si per eos desconfitti essent inimici de vigintiquinque in sursum vel pedites vel equites, tenemini dare eis pagam duplicem et mensem completum.

Item petunt quod omnes eorum equi et sociorum suorum si morirentur vel si devastarentur in servicio comunis, teneatur comune Cremone emendare eis dictos equos infra decem dies.

Item petunt quod si eis non emendati fuerint dicti equi infra dictum terminum, quod non perdant stipendium donec emendati fuerint eis.

Item petunt quod quociens equitarent supra inimicos quod totum illud quod ipsi lucrarentur sit suum, non euntibus in illa cavalcata banderiis domini vicarii, et de preda et carceratis quam et quos lucrati essent possint facere ad suum sensum et voluntatem, salvo quod possint redimere carceratos si volunt pro vigintiquinque libris imperialium pro unoquoque carcerato.

Item petunt quod si in istis vigintiquinque millitibus vultis balesterios, quod habere debeant dicti balesterii sex libras imperial. pro quolibet.

Item petunt quod si aliquis sociorum se infirmaret quod habeat terminum decem dierum, et si infra dictum terminum non esset liberatus quod possint camblare eum.

Item petunt quod si aliquis dictorum sociorum eis displiceret, quod possint eum camblare cum voluntate vestra et alium ponere, et sine licentia non valeat.

Item petunt quod si alter eorum per aliquod accidens se infirmaret quod possint ponere unum loco eorum et quod non possint eos casare donec liberati fuerint, cum voluntate dicti comunis et non aliter.

Item petunt quod si alicui conestabili darentur ultra vigintiquinque socios, quod idem fiat eis.

Item si accideret quod aliquis esset in carceribus comunis Cremone, ad captionem cuius carcerati fuisset vel fuissent socii ipsorum, et aliquis sociorum suorum foret captus per inimicos, illum talem carceratum possint et debeant habere pro contraccambio et in scontro illius socii sui.

Item quod ipsi conestabiles et eorum socii non possint in aliquo constringi de aliquibus debitis factis per ipsos vel aliquem ipsorum ab hinc retro.

Item petunt duos dies pro eorum via eundi et duos redeundi.

Item quod de predictis, ut firma sint et obtineant roboris firmitatem, fiat per comune Cremone seu eius sindicum ad hoc constitutum promissiones obbligationes et pacta, prout postulat ordo iuris.

141. — 1311, *mad.* 27, *IX*, *Cremonae.*

Vicarius praedictus et sapientes comunis Cremonae (Nicolinus de Dovaria, Martinus de la Cella, Egidiolus de Allegris, Tomaxinus de la Cella, Ysnardus de Giroldis, Iulianus de Multisdenariis, Iohannes Malombra, Fredericus de Archidiaconis, Lanfranchinus de Benzonibus, Iohannes de Vetulis, Rafael de Granellis, Guido de Piscarolo; cfr. sept. 16) constituunt Gabrielem de Burgo sindicum suum et comunis ad faciendum pacta cum Chechio de Cazago, capitaneo militum.

142. — 1311, *aug.* 5, *IX*, *Cremonae.*

Ricardus de Tizonibus vicarius imperatoris, praecipit, massario communis ut solvat Checo de Cazali conestabili 216 libras imper. pro completa solutione mensium madii, iunii et iulii.

143. — 1311, *aug.* 18, *Cremonae. Dal* Bonaini, *op. cit.*, *I*, 198.

Iussu vicarii generalis episcopi cremonensis Raynerii de Casolis, autenticatur privilegium quo Henricus VII in suam accipit fidem conventum fratum ordinis Militiae beatae Mariae virginis Cremonae, bonaque ad ipsum pertinentia.

144. — 1311, *sept.* 16, *IX*, *Cremonae.*

Checus de Cazago, conestabilis denunciat Gofredo de Verzelesiis vicario imperatoris et sedecim sapientibus Cremonae quod paratus erat ipso die facere suam mostram cum sociis suis; alioquin dabit eis licentiam eundi et redeundi et protestatur non velle teneri in aliquo damno si in mostra, quae fieret post ipsum diem, aliqui e sociis suis non invenirentur.

145. — 1311, *aug. sept. Senza data. Doc. cartaceo.*

Nota militum qui fuerunt cum Checo de Cazago (dall'1 agosto al 16 settembre molto probabilmente) cum descriptione equorum et runcinorum.

146. — 1311, *aug. sept. Senza data. Doc. cartaceo.*

Duo notae sociorum, qui receperunt de paga a D. Checo.

147. — 1311, *oct.* 3, *X, Soncini in palatio domini regis. Ap.* Galantino, *op, cit., III,* 42.

Henricus rex recipit castrum Sonzini et districtum in quo est plebatus Calsi in gratiam suam et accipit homagium et fidelitatem a sindico praedictorum locorum.

148. — 1311, *nov.* 1, *Bononiae. Dal* Muratori, *Antiq. IV,* 615.

Concordia inter ambaxatores Ghiberti de Corigia et aliorum nobilium civitatum Parmae et Regii ex parte una et ambaxatores Bononiae, Florentiae, Lucae, Senarum, Guidonis de la Turre et extrinsecorum guelforum Mutinae et Cremonae ex altera, ut civitates Parmae et Regii rebelles fiant Henrico regi, et societatem cum omnibus praedictis componant.

149. — 1311, *nov.* 6, *Venetiis. Dal* Minotto, *Acta et Diplom. e R. Tabulario Veneto, III,* 2, 23.

Consilium maius Venetiarum statuit de casu cuiusdam Carlini de Cremona, qui super silurim portabat Adrias vinum de Creta, ei acceptum in aquis Adriae, iussu potestatis Laureti.

150. — 1311, *nov.* 10, *d. Mediolano. Ap. cartaceo.*

Epistola Ugolini de Sesso, potestatis Mediolani, pro Matheo Vicecomite, ad comune Cremonae, ut solvat debitum Giecho de Cazago, mediolanensi, olim conestabili ad servicium Cremonae.

151. — 1311, *nov.* 14, *IX, Cremonae.*

Giechus de Cazago porrigit Gofredo de Verzelesiis, vicario, et sapientibus sedecim Cremonae, litteras d. 10 nov. Ugolini de Sesso potestatis Mediolani pro D. Matheo vicecomite, ad commune Cremonae ut satisfaciat eidem Giecho; et postulat 216 libras imper. pro soldo a kalendis augusti praeteriti retro et damnum et interesse in florinis 200 auri.

152. — 1311, *nov.* 18, *in palaciolo com. Brixiae. Dal* Doenniges, *op. cit., II,* 167.

Pars imperii Brixiae, ex epistola d. 16 nov. Iohannis de Castiglione, iudicis Henrici VII, procuratoris fisci in Lombardia et Marchia, qua petit ut succurratur Cremonae, clavi Lombardiae, protestatur coram iudice vicarii brixiensis et consulibus et anzianis ut debeatur succurrere Cremonae.

153. — 1311, *dec.* 6, *X, in Casalimaiore, in domo Comunis. Dal* Wüstenfeld, *Serie dei Rettori di Cremona, a quest'anno.*

In consilio partis ecclesiae Cremonae, Maxenerius de Ponzonibus, archipresbiter maioris ecclesiae Cremonae, Iacobus de Cavalcabobus, Iacobus de Persico, Ughinus de Summo, etc. consiliarii et credendarii dictae partis extrinsecae, et Gerardus de Savignano potestas et rector eiusdem, constituunt Pinum de Vernacciis et Albertum de Schizis, cives cremonenses, absentes, procuratores, ad foedus et concordiam faciendam in civitate Bononia, cum comunibus Bononiae, Florentiae, Senarum, Parmae, Regii et cum Guidone de la Turre (1).

154. — 1311. *Dal* Minotto, *Acta et Diplomata e R. Tab. Veneto, III,* 2, 24.

Dacia quae solvuntur per illos, qui vadunt Venetiis per Padum versus Mantuam: de fundatico navium omnes Lombardi et quilibet alii solvunt grossos 9 pro quolibet fundo, salvo quod Mantuani nihil solvunt et Plasentini solvunt grossos 11 pro fundo.

Dacium quod solvitur in Ferraria: Mantuani pro quolibet soma bononienses 9 parvos, Cremonenses 18 et Mutinenses et Regienses, Mediolanenses, Cumasini, Monzaschi, Lodesani, Papienses Pergamenses et Plasentini bononienses 27, etc.

(1) Masenerio dei Ponzoni, era arciprete di Piadena, e nel 1304, settembre 7, fu nominato arciprete della chiesa maggiore di Cremona. In una carta del 1288, I, . . . è detto canonico della Cattedrale. Nel 1319, 16 maggio, II, 1323, 9 dicembre, VII, 1324, ottobre 7, VIII, 1328, novembre 13, XII, 1329, settembre 2, XII, 1331, luglio 5, 1336, 13 novembre, IV, figura sempre come arciprete della Cattedrale.

155. — 1312, *ian.* 3, *X*, *Cremonae. Dal* Winkelmann, *Acta imp. ined. II*, 769.

Iohannes de Castilione, iudex et vicarius Henrici VII in Lombardia et Marchia, donat Passarino de Bonacosis, vicario Mantuae, terram Luzariam cum mero et misto imperio et gladii potestate; insuper eligit eum capitaneum aquae Padi, et pontium castrorum et locorum omnium ripae Padi in territorio Cremonae, statuens ut de qualibet mercadantia exigat imp. 2 pro libra, de hominibus, equis et aliis bestiis, secundum consuetudinem.

156. — 1312 (1311 *inc.*), *ian.* 7, *d. Cremonae.* (*Cartaceo*).

Petitio Chechi de Cazago conestabilis ad Gufredum vicarium Cremonae pro regia maiestate et octo sapientes communis ut sibi fiat solutio de eo quod recipere debet pro soldo suo a die 10 mad. huc usque.

157. — 1312, *febr.* 16, *X*, *Mediolani in parochia S. Michaelis ad gallum in via publica prope tabulam Gaspari Morigiae. Ap. cartaceo.*

Checus de Cazago denuntiat Monacho Quadragesimi et Nicollae Serazani, abbatibus societatis negotiatorum Mediolani, cum debeat recipere a comm. Cremonae 600 libras imp. et 200 florenos pro damno et interesse, quod de praedictis provideant ut detur sibi laus vel aliud fiat contra Cremonenses extrinsecos et intrinsecos.

158. — 1312, *iul.* 12, *X*, *Cremonae. ASM.*

Ex mandato Raynerii de Casalis, episcopi Cremonae, vicarius eius iungit atque incorporat monasterium S. Mariae de Boschetto cum monasterio S. Iohannis de la Pipia Cremonae.

(Il mandato del vescovo è del maggio 28, *in casa de Casalis vulturensis diocesis*, e si legge nel Bonafossa, Mon. Crem. Eccl. ms. *A V*, p. 124).

159. — 1312, *X*, *Cremonae. D*, 92.

Nota tredecim daciorum et gabellarum, quae mensibus iunii, iulii et augusti incantatae et venditae sunt per aliquot menses, per iudicem generalem gabellarum et totius introitus comm. Cremonae.

In nomine domini amen.

Millesimo trecentesimo duodecimo, indictione decima, diebus et mensibus infrascriptis. Infrascripte sunt gabelle et dacia incantate et vendite per sapientem et discretum virum dominum Coradinum domini Antolini de Piovanis de Parma, iudicem generalem gabellarum et totius introitus comunis Cremone, existentibus tunc potestatibus et rectoribus comunis Cremone dominis Iohanne Quilico de sancto Vitale et Ghirardino de Enpollis subsequente, et scripte per me Albertinum de Algarixiis notarium dicti iudicis et dicte gabelle.

Andriolus Zapatera incantavit die sextodecimo iunii dacium bestiarum, scilicet duorum denariorum de qualibet libra recipiendorum a quolibet vendente et emente bestiam aliquam, si mercatum bestiarum que vendentur assendat usque ad quantitatem decem soldorum imper. et hec usque ad tres menses incipiendos die decima septima iunii, et habet illud ius percipiendi dictum dacium et gabellam quod habet comune Cremone. Et hoc pro pretio triginta quinque librar. imper. pro quolibet mense, et debet solvere dictum precium singulis dictis mensibus quandocumque placuerit dicto domino Coradino iudici.

Bresaninus de Laude incantavit dacium sextarii platee, scilicet unius denarii pro quolibet sextario quod mensurabitur in platea vel allibi usque ad sex menses, pro pretio viginti sex librarum, quolibet mense incipiendo tempore suprascripto quo incepit dictus Andriolus, et solvendo in quolibet mense ad voluntatem dicti iudicis.

Gidinus de Barbata eodem die incantavit usque ad sex menses dacium masenature, scilicet unius denarii de quolibet sextario quod macinatur, precio quatrigintaquinque librarum imper. pro quolibet mense solvendo singulis mensibus ad voluntatem dicti iudicis at supra.

Petrus de Gurata eodem die incantavit datium panis lini precio vigintiquinque librarum imper. pro quolibet mense usque ad sex menses, solvendo singulis mensibus quandocumque voluerit dictus iudex, et incepit die vigesima septima dicti mensis.

Et de predictis omnibus gabellis est pubblicum instrumentum, scriptum manu Manfredini de Calvis notarii gabelle tunc existentis dicti domini Coradini iudicis.

Gidinus de Barbata vicinie sancti Victoris incantavit die mercurii quinto iulii, incepturus die sequenti, gabellam seu dacium mercadandie scilicet casey grosi salati plani, lane, vini, carnium salatarum, accepturus de qualibet libra quatuor imper. scilicet duo ab emptore et duo a venditore, usque ad sex menses, et precio pro quolibet mense viginti novem librarum imper. et dimidie, solvendo singulis mensibus ad voluntatem dicti iudicis, inteligendo quod possit exigere a quolibet vendente et emente vinum in civitate, burgis et in clausuris,

Dominus Albertus de sancto Syllo vicinie sancti Vincencii incantavit dacium pugnolatorum, bombicis, patarie et curaminis cum pillo et sine pillo, lini, peliciarum veterarum et novarum die vigesimo tercio iulii, incepturus die sequenti, usque ad sex menses, pro quo dacio solvere tenetur singulis mensibus et pro quolibet mense viginti sex libras imper. ad voluntatem dicti iudicis.

Dalfinus de Marianis incantavit dacium portarum Cremone scilicet plaustrorum et caretarum, et debet et potest exigere de quolibet caro seu careta ponderatis intrantibus et exeuntibus civitatem duos imperiales de quolibet, et hoc usque ad sex menses, et predicta fuerunt die quinto iullii, incepturus die sequenti, et debet solvere singulis mensibus et pro quolibet mense sex libr. imperialium.

Antoniolus Manchasola incantavit dacium plaustrorum et caretarum venentium per pontem Padi et glarias, debet accipere a quolibet caro seu careta ponderatis duos imper. et hoc fuit die vigesimo tertio iulii, incepturus die sequenti usque ad sex menses, et debet solvere quolibet mense ad voluntatem dicti iudicis comuni octo libr. et sedecim sold. imper.

Marchetus de Persico vicinie sancti Petri de Pado incantavit die penultimo iulii, incepturus die primo augusti, et finiturus in kalendis ianuarii, dacium unius denarii a quolibet macinante scilicet molendinorum Fosacaprarie et Zigognarie, solvendo comuni Cremone ad voluntatem dicti iudicis pro quolibet mense pro rata precii et temporis, precio triginta librarum imper.

Andriolus Zapatere vicinie Gonzage incantavit dacium panis duorum soldorum imper. de quolibet sextario die vigeximo septimo iulii, incepturus die prima agusti usque ad duos menses subsequentes, solvendo singulis mensibus trecentas libras ad voluntatem dicti iudicis.

Egidiolus de Guferlaxis vicinie omnium Sanctorum incantavit die vigesimo quarto agusti dacium furnorum scilicet unius denarii de quolibet sextario panis quod coquetur in civitate et burgis Cremone, excepto quam de pane quod coquetur per pistores comunis, incepturus die vigesimo octavo augusti usque ad sex menses proximos subsequentes, solvendo quolibet mense comuni Cremone viginti libr. imper. solvendo incontinenti pro duobus mensibus, pro aliis autem mensibus... quolibet mense viginti libras imper. ad voluntatem dicti iudicis.

Martinus de Nasellis vicinie sancti Ieorgii incantavit dacium vendencium et rivendencium pulorum, galinarum, ovorum et salvaticinarum, atque vendencium erbas in platea maiori et sancte Agathe, die vigesimo quarto agusti, incepturus die sequenti usque ad medium mensem marcii proxime subsequentis, accepturus pro dacio et gabella a suprascriptis personis revendentibus res suprascriptas illud quod in provisionibus gabelle continetur, precio duodecim librarum imper. solvendarum ad voluntatem dicti iudicis, salvo quod a personis qui iam solverunt predicta de causa pro ea parte qua solverunt nichil ultra possint accipere.

Ego Albertinus de Algarisiis, notarius sacri palacii et tunc dicti iudicis et gabelle, omnibus suprascriptis venditionibus gabellarum exceptis primis quatuor interfui et de predictis rogatus fui facere cartam.

Iacopinus de Iulia incantavit dacium sextarii curie domini episcopi usque ad medium mensem marcii, precio viginti quinque soldorum imper.

Egidiolus qui dicitur Guercius de Guferlaxis incantavit dacium panis, scilicet duorum solidorum imper. de quolibet sextario panis venalis, precio ducentarum quinquaginta quinque librarum imper. incepturus in calendis octobris et dimitturus usque in kalendis novembris, et debet solvere incontinenti et fecit cartam de predictis Petrus de Maldotis.

160. — 1313 (1312 *inc.*), *febr.* 15, *XI, Cremonae, in eccl. maiori. Dal* Bonafossa, *Monum. Cremon. ecclesiae, ms. p.* 126. Sanclemente, *Series Episcop. Cremon. p.* 278. Cappelletti, *Le chiese d'It. XII, p.* 194.

Actus electionis duplicis Aegidii de Bonseriis canonici, et Aegidii de Madelbertis, cantoris et canonici, in episcopum Cremonae.

161. — 1313, *mart.* 7, *XI. Dal* Bonaini, *op. cit. II,* 231.

Epistola reipublicae florentinae communi Cremonae, qua, ut animo firmius sit ad defensionem, docet quoties male pugnaverint imperiales in Etruria, quae Robertus rex promiserit, quaeque proinde facta fuerint.

162. — 1313, *mart.* 13, *XI, d. Pisis. Dal* Galantino, *op. cit. III,* 87.

Henricus VII concedit in feodum Iohanni, comiti de Forest, castrum Soncini cum eius iurisdictione teritorio et districtu, in solutionem annuam 4000 florenorum parvorum auri.

163. — 1313, *apr.* 17, *XI, Parmae, ad tabulam Copelli Torelli et Iacopini de Toxio campsorum. D,* 93.

Iohannes Quilicus de S. Vitali, olim potestas Cremonae, constituit Iacobinum de Costerbosa cui Malatesta dicitur et Anselminum de Rempertis procuratores suos in omnibus causis et specialiter ad faciendum venditionem de omni iure quod habet in medietate dacii vini Cremonae pro eo quod habere debet a comm. Cremonae pro salario suo.

164. — 1313, *apr.* 23, *XI, Cremonae. D,* 101.

Carta pactorum inter commune et gabellam ex una parte et Iohannem de Burgo ex altera, mercatorem de Bersello, pro ducendo et dando usque ad unum annum salem sufficientem civitati et districtui.

165. — 1313, *apr.* 26, *XI, Parmae in platea communis. D,* 94.

Iohannes Quilicus de S. Vitali olim potestas Cremonae (1312) constituit suos procuratores ad accipiendum a communi Cremonae id quod recipere debet pro complemento salarii sui, Malatestam et Matheum de Goresaliis iurisperitum.

166. — 1313, *iul.* 20, *XI, Florentia. Dal* Bonaini, *op. cit. II,* 275.

Epistola Florentinorum marchioni Iacobo de Cavalcabobus, qua promittunt se reparaturos damna illata super facto maleficiorum et robariae commissorum in persona et rebus nobilis quondam militis Ponzini de Picinardis de Cremona et aliorum in districtu florentino; interea velint Cremonenses, Florentinorum fortunis ob Henrici VII bellum perspectis, quas represalias minantur in tempus omittere.

Eodem modo et die scriptum est Gregorio de Summo de Cremona.

167. — 1313, *aug.* 14, *XI, Cremonae.*

Inventarium bonorum Accorsini q. de Nigellinis de Parma.

Sembra fosse un mercante: la professione non è mai segnata negli inventari. Trovansi infatti notate merci in abbondanza: coltelli a galono e altri arnesi di ferro da armatura, ganti de lana, de moltono, ganti laborati, ganti agnelli, borse, borselli, carnaiuoli, cordoni di lana, repo tento et albo, borse di seta, correggie, ecc. ecc.

168. — 1313, *oct.* 2, *XII, Cremonae. AG.*

Capitula pacis inter comune Cremonae et partem ecclesiae, pro se et rege Roberto, domino Cremonae, ex una parte, et homines castri Robecchi et Thomaxium et Thedixium et Prumeranum de la Zella et Galvanum de Dovaria et Elmodaxium de Burgo, ex altera, scilicet:

Quod pax sit inter comune Cremonae et illos, qui tempore tractatus dictae pacis erant in castro Robecchi, scilicet die dominico ultimo setembris praeterito, et in pace comprehendantur etiam Nicolinus de Dovaria, . . . de la Zella.

Quod praedicti de Zella, de Burgo et de Dovaria, et omnes qui possunt uti beneficio pacis, restituantur in possessionibus terrarum et bonorum, quas habebant tempore Francisci de Cravisana, olim vicarii Cremonae (a. 1311).

Quod castrum Robecchi incontinenti perveniat in manum comunis Cremonae, et restituatur in gratiam eius et D. Regis, et homines eius et omnes etiam qui extra sunt propter guerram, restituantur in bonis suis, ut in tempore Francisci de Cravessana.

Quod statuta Robecchi, tempore Conradini de Casamala, olim potestatis dicti castri, firma sint.

Quod homines ipsius sint immunes, per quinque annos, ab honeribus Cremonae, et per duos annos non possint, causa debiti, conveniri a quolibet de civitate, salvis suis iuribus; itemque quod homines Robecchi non possint, propter eamdem causam, convenire homines de civitate. Quod beneficium datur Iohanni de Machis et eius filiis, et cuilibet de parte extrinseca dicti castri.

Quod Cremonenses de praedictis domibus et casalibus, sint immunes ab oneribus comunis per duos annos, et per duos annos non possint, causa debiti, conveniri ab aliquo civitatis, vel possint ipsi aliquem convenire.

Quod pax iuretur a comuni Cremonae, et ab hominibus Robecchi et a Cremonensibus supradictis.

Quod fiat pons incontinenti ad Pontemvicum, prout ordinatum olim est a comuni Cremonae, ut victualia possint in castrum conduci.

Quod comune Cremonae procuret ut pacta iurentur a D. Rege vel ab eius senescalco.

Congregato consilio generali comunis Cremonae, super palatio veteri, ubi erant capitaneus populi, consules et antiani populi, de eorum voluntate et quadringentorum credenderiorum et plus; iudex et vicarius vicarii Roberti regis in Cremona, consilium requirit, et consilium adprobat capitula pacis, et constituit unum inter consules populi, procuratorem ad faciendum et recipiendum iuramentum.

Dictus procurator et Thomaxius de la Zella, sindicus Yscenardi de Ghiroldis, vicarii generalis partis extrinsecae Cremonae in Robecco, et Iacominus de Orlandis, sindicus castri Rebecchi, osculo pacis interveniente, iurant sibi vicissim perpetuam pacem.

Fideiusserunt pro comuni Cremonae Iacobus et Aloysius, marchiones de Cavalcabobus, Tolominus de Cortixiis, Grigorius de Summo, Leonardus..., Marchexinus de Marianis, Moroel de Mazinpedibus, etc. etc.

Sequuntur nomina illorum partis extrinsecae Cremonae, tunc existentium in castro Robecchi, qui sunt in dicta pace, scilicet, octo de Dovaria

(Galvanus, Nicolinus, Pasinus, Symoninus, Guera, Guillielmus D. Motini, Petrus bastardus D. Symonini, Ysacchus f. Galvani), quatuordecim de la Zella, complures de Ghiroldis (Iacominus f. Yzolini, Abraminus frater Iacomini, Zaninus, Bastardus f. Ysenardi, etc.), tres de Pufeniga (frater Zanebellus, Abraam, Iacopinus), Fredereghinus de Vetulis, Boninus Faustinus, Venturinus Polanus et Bertolotus filius, Zaninus de Archidiaconis, Guillielmus Robrozonus de Sabloneta, Cavalca de Bruxacoris, Pezinus de Aymonibus, Gobus de Solarolo, Otinus de Persico, Nicolinus et Boninus f. q. magistri Albertini de Amidano, Nicolinus de Zanebonibus, Alimodaxius de Burgo, Betinus Pulixelus, Ghirardus Cagardus.

Henrighino de Caresinis notario sacri palacii.

169. — 1313, *oct.* 11, *XII, Cremonae. ASM.*

Abbatissa et moniales monasterii S. Tomasii de Lerno de clausis Cremonae, quae in monasterio S. Benedicti civitatis morabantur, propter guerras et guerrarum discrimina imminentia in episcopatu Cremonae in partibus monasterii usque ad civitatem, eligunt sibi quandam petiam terrae propter fictum non solutum.

170. — 1313, *dec. XII. Da un Codice del sec.* XV *dell'Archivio Pallavicino* (1).

Statuta Cremonae, tempore regis Roberti generalis domini civitatis et districtus.

MCCCXIII indictione duodecima mense decembris.

I.

Quod rectores et officiales Cremonae defendere teneantur honorem et iurisdictionem.

In primis quod omnes rectores communis et populi Cremonae, qui sunt et pro temporibus erunt ad regimen civitatis vel qui pro tempore praeerunt ad aliquod officium ordinarium vel extraordinarium in Cremona, teneantur et debeant vinculo sacramenti defendere et manutenere honorem iurisdictionem et dominium quod habet in civitate et districtu Cremonae serenissimus dominus dominus Rex Robertus, generalis dominus civitatis et districtus Cremonae, et etiam integraliter sine aliqua diminutione observare et observari facere pacta et conventiones factas et facta inter magnificum et excelsum dominum Ugum de Baucio, militem regis Ciciliae, dicti domini Regis senescalcum in partibus Lombardiae, ex una parte, et syndicos communis Cremonae et ambaxatores, ex altera. Et quod non permittatur nec permitti possit aliquid fieri vel reformari, quod sit contra conventiones ipsas et pacta, tam pro favore et honore dicti domini Regis quam etiam pro eo quod tangit commune Cremonae, in aliquo consilio publico vel privato generali vel speciali. Et si contrafieret vel reformaretur, ipso iure quicquid esset reformatum contra hanc conventionem vel pacta, tam contra aliquod capitulum quod esset in favorem ipsius domini Regis quam etiam communis Cremonae, nullius sint momenti. Et rectores qui praedicta fieri permiserint, pro qualibet vice in centum libris imp. communi Cremonae tempore syndicatus per syndicatores debeant condemnari. Et hoc statutum sit truncum, praecisum et derogatorium omnibus aliis statutis tam communis quam populi contrarium loquentibus.

2.

De solemnitate servanda super habendis vicario et capitaneo populi.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod domini vicarius et capitaneus, praesentes et etiam futuri, ante exitum suorum regiminum per quatuor menses, teneantur convocare et congregare consules et anzianos populi, et etiam ipsi consules et anziani cum eis convocare possint et teneantur consules collegiorum iudicum, notariorum et universitatis mercatorum Cremonae et infrascriptum dominum executorem iustitiae, et qui pro tempore fuerit, et alios duos sapientes de populo per portam, quos secum habere voluerit, et ipsos consules et anzianos et consules dictorum collegiorum et universitatis et dictos sapientes insimul ponere ad videndum et ordinandum quicquid eis videbitur pro meliori et utiliori statu civitatis Cremonae et populi et partis ecclesiae de Cremona, et super habendis ab ipso Domino Serenissimo futuros vicarios et capitaneum. Et quod consules et anziani consules collegiorum et sapientes habeant in scriptis reducere et providere de quibus partibus et civitatibus credunt utile fore communi et parti ecclesiae de Cremona esse debere futuros vicarios et capitaneum, et etiam in scriptis possint reducere et habeant nomina ipsorum rectorum, quos crediderint esse utiles communi et parti ecclesiae de Cremona, mittenda ipsi Domino Serenissimo et ab eo requirenda. Et secundum quod providerint debeant mitti litterae ex parte communis Cremonae praefato Domino Serenissimo deprecatoriae ex parte communis et populi Cremonae, quod amore communis Cremonae sibi transmissas dignetur effectui demandare. Et quod ipse Dominus Serenissimus in litteris transmittendis per ipsum, approbatis per commune Cremonae, debeat ponere capitula prohibitoria circa personam ipsius

(1) V. Prefazione pag. 10, e Robolotti, Doc. Stor. e lett. di Cremona, pag. 104. A pag. 151 del Codice, dove incominciano i frammenti di cronaca e di statuti pubblicati dal Robolotti, leggesi: « Penes D. Iohannem Baptistam Raparium custodem atrii Bibliotecae cremonensis. »

rectoris eiusque familiae secundum formam conventionum factarum cum ipso Domino Serenissimo. Et quod in praedictis litteris dicto Domino Serenissimo mittendis, singillatim et distincte debeant inseri et comprehendi omnia capitula inserta in dictis conventionibus tangentia rectores eligendos et eius familiam et alia ad quae tenentur ipsi rectores. Et si praedicti rectores essent negligentes in colligendo et colligi faciendo dictos consules et anzianos consules collegiorum et dictae universitatis et sapientes, et in mandando executioni provisiones et ordinata per eos, quod infrascriptus dominus executor, consules dictorum collegiorum, intra tertiam diem postquam ipsi rectores per ipsos consules collegiorum fuerint requisiti, possint dictos sapientes eligere et secum congregare. Et in praedictis et circa praedicta providere et ordinare debeant. Et provisa et ordinata per eos possint effectui demandare, et literas sigillari facere sigillo communis Cremonae et sigillatas transmittere ipsi Domino Serenissimo. Et quod in praedictis et circa praedicta rectores teneantur dare operam cum effectu. Eo salvo quod quando tractabitur de futuro vicario habendo et trasmittendo ad Dominum dominum Serenissimum, etiam possint de dictis duobus sapientibus per portam tam de populo quam de potentibus. Et hoc statutum sit truncum et precisum et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis provisionibus et reformationibus consiliorum tam communis quam populi in contrario loquentibus. Eo salvo quod ipsis litteris sic mittendis semper debeat inseri, quod placeat Domino Serenissimo quod communi et populo Cremonae aliquem in rectorem Cremonae, qui steterit ad regimen Cremonae per trigenium, iuxta formam dictarum conventionum dare non debeat.

3.

De solemnitate servanda super electione futurorum vicarii et capitanei populi.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod dominus vicarius et capitaneus qui sunt et pro temporibus erunt, infra tertium diem ex quo ex parte dicti Domini Serenissimi ipsis fuerint destinatae litterae et datae continentes nomina et praenomina futurorum vicarii et capitanei, qui debent eligi per commune Cremonae, teneantur facere congregare consilium partis et populi, videlicet vicarius consilium partis et capitaneus consilium populi, facta ante crida die praecedenti per tubatores communis Cremonae in locis consuetis, quod omnes credenderii dictorum consiliorum die sequenti esse debeant ad ipsa consilia, occasione electionis fiendae de novis vicario et capitaneo. In quolibet quorum consiliorum ad minus interesse debeant ducentum credenderii. Et quod ipsis consiliis congregatis, nomina ipsorum vicariorum missorum per ipsum Dominum Serenissimum et etiam capitaneorum in ipsis consiliis debeant publicari et literae aperiri et legi, scilicet nomina vicarii in consilio partis, et nomina capitanei in consilio populi. Quibus sic lectis et publicatis, ad electionem eorum per infrascriptum modum debeat procedi, videlicet quod ille qui scriptus erit primo vicarius in ipsis litteris debeat aballottari. . . . . . . contra sequentem in ordinem scripturae. Et ille qui obtinuerit contra sequentem alium in ordine debeat aballotari, et sic de aliis procedatur. Et ille qui obtinuerit sic singulariter contra omnes, habeat sic primus vicarius, et eodem modo in secundo eligendo et tertio et quarto debeat procedi. Et praedicta omnia observentur in electione capitanei. Et quod eo tempore quo praedictae abalotationes fient, dominus vicarius qui tunc temporis erit in ipso consilio habere debeat librum in quo scripti sint dicti credenderii partis et in ipso facere vocari singulariter alta voce ipsos credenderios scriptos in ipso libro, qui credenderii sic vocati singulariter unus post alium venire debeant ad banchum domini vicarii, ubi debeant esse bussolae infaltiatae in loco solito. Et cuilibet ipsorum credendiorum debeat dari una ballotta, ostendendo ambas manus coram rectoribus, et qui incontinenti ponat ambas manus ad ipsas bussolas dando balottam secundum quod pro meliori crediderit, sub banno viginti soldorum imperialium, quod bannum incontinenti exigi debeat per rectores. Et quod datis ipsis balottis, ipsae bussolae debeant vacuari super pallacium per medium banchum domini vicarii. Et ibi omnibus videntibus debeant numerari per unum ex consulibus et anzianis. Et quod praedicta locum habeant etiam in electione capitanei. Et quod in ipsis consiliis debeant legi conventiones factae per commune Cremonae cum dicto Domino, tantum in ea parte in qua continetur de futuris rectoribus eligendis et eorum familiis. Et si contra praedictas formas electio ipsorum vicarii et capitanei facta fuerit, ipso iure nullius sit momenti. Et nihilominus rectores, qui praedicta non observaverint, vel non observari fecerit, in centum libris debeant condemnari per sindicatores tempore sindicatus, et hoc statutum sit truncum et praecissum et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis et provisionibus, tam communis quam populi in contrarium loquentibus.

4.

Quod rectores et eorum familiae non possint absolvi quin stent ad syndacandum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod praedicti domini vicarii et capitanei qui de cetero eligentur modo praedicto, et etiam presentes rectores, teneantur et debeant stare et permanere cum tota sua familia toto tempore sui officii in civitate Cremonae super domibus communis Cremonae, et etiam eorum officio finito stare debeant cum tota sua familia et syndicari possint secundum formam dictarum conventionum et statutorum tam communis quam populi loquentium de sindicatu rectorum. Et quod pendente eorum officio nec etiam eo finito, durante dicto syndicatu, modo aliquo seu ingenio nec in aliquo consilio possint vel debeant absolvi, nisi secundum formam praedictorum statutorum. Et quod aliquis rector communis vel po-

puli nec etiam consules et anziani non faciant nec fieri permittant aliquam propostam in aliquo consilio generali populi seu partis contra predicta, nec permittere aliquem attentare contra predicta vel in fraude predictorum. Et si quid contra predicta fuerit factum seu reformatum ipso iure nullius sit momenti. Et nihilominus vicarius et capitaneus seu eorum iudices, qui praedictis presentes fuerint, condemnentur in centum libris imp. pro quolibet eorum. Et qui attentaverit contra predicta in quinquaginta libris imp. Et hoc statutum sit trunchum et precisum et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis in contrarium loquentibus.

5.

Quod societas populi antiqua sit firma.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod societas populi antiqua firma sit. Et omnes illi et singuli qui secundum formam aliquorum statutorum populi erant seu esse intelligebantur de dicta societate, esse intelligantur de ea. Et privilegiis dictae societatis debeant uti. Et omnia statuta alia loquentia in favorem dictae societatis et eorum qui sunt de suprascripta societate vendicent sibi locum et debeant observari, dummodo quod statuta loquentia de possessione turbata non debeant observari in aliquo.

6.

Qualiter subiici debeant tormentis inculpati tractare contra honorem et statutum communis et populi Cremonae.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliqua persona cuiuscumque status et conditionis existat, quae esset in fortia communis Cremonae occasione quod debuisset aliquid tractasse dixisse vel fecisse publice vel privatim quod esset contra honorem et bonum statum communis et populi Cremonae et partis ecclesiae de Cremona vel etiam contra honorem dicti domini nostri Regis, modo aliquo non possit tormentari seu subiici questionibus, nisi prius convocatis dominis capitaneo populi, et ad minus uno ex consulibus et uno ex anzianis populi, et domino executore, et uno ex consulibus infrascriptorum collegiorum iudicum, notariorum et mercatandiae. Et ipsis convocatis in eorum praesentia per dictum dominum vicarium examinentur omnes processus et indicia facti et habita contra ipsum. Et secundum quod ibi deliberatum fuerit per ipsos in antea procedatur. Et si per ipsos fuerit deliberatum de tormentando illum talem inculpatum, quod ipse debeat tormentari in presentia predictorum dominorum vicarii, capitanei, consulum et anzianorum, executoris, et consulum. Et alius processus non valeat et hoc statutum sit truncum, precisum et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis contrarium loquentibus.

7.

De penis detinentium aliquos sub nomine Gibellini, nisi eos consignaverint domino vicario.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliqua persona cuiuscumque conditionis existat non audeat nec presumat sua auctoritate detinere vel detineri facere aliquem cuiuscumque conditionis existat sub nomine Gubelini, nec sub aliquo alio colore, nisi incontinenti eum consignaverit domino vicario vel eius familiae. Et si aliquis contrafecerit, seu detentum in domo suo vel in aliquo alio loco detinuerit ultra unam diem, puniatur et condemnetur pena privati carceris. Et hoc statutum sit truncum, precisum, ultimum et derogatorium omnibus statutis.

8.

De baylia quam habent domini vicarius et capitaneus super concordiis faciendis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod domini vicarius et capitaneus, consules et anziani et dominus executor, consules collegiorum cum prioribus ipsorum collegiorum et paraticorum teneantur et debeant procurare quod si quae discordiae sint inter aliquos civitatis Cremonae, qui sint de parte ecclesiae, ad pacem et concordiam reducantur. Et quod super praedictis habeant plenam et liberam bayliam et arbitrium omnia ea et singula dicendi et faciundi et procedendi secundum quod melius crediderint convenire. Et etiam procurare teneantur, quod omnia castra et fortaliciae quae sunt in districtu Cremonae perveniant in forciam dictorum domini vicarii et capitanei et communis Cremonae, et quod postquam pervenerint in fortiam dicti communis guarniri debeant per vicarium domini Regis et capitaneum ad honorem dicti domini Regis et communis Cremonae. Et quod omnia pacta quae fierent per commune Cremonae cum aliquibus venientibus ad mandata communis Cremonae, et reddentibus ipsa castra et fortilicias communi Cremonae, eis per commune Cremonae et per rectores communis debeant integre conservari. Et quod ipsi et eorum familiae sint et esse intelligantur sub protectione communis et populi Cremonae et consulum et anzianorum et domini executoris et colegiorum et paraticorum Cremonae. Et hoc statutum sit truncum et precisum ut supra.

9.

Quod quilibet possit accusare quemlibet bandezatum de mallefìcio et cancellatum de banno indebite sub pretextu pactorum castrorum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod cum multi de bandezatis de maleficio sub pretextu pactorum Robecchi, Zivenoltae, et aliorum castrorum indebite et iniuste in fraudem et contra veritatem ipsorum pactorum sint cancellati de libris bandezatorum, idcirco statutum et ordinatum est, quod si aliquis

fuisset indebite et iniuste et contra veritatem sub pretextu dictorum pactorum cancellatus de ipsis libris, quod dominus vicarius teneatur ipsum de novo facere scribi in ipsis libris et perinde habeatur et tractetur ac si cancellatus non esset. Et quod quilibet possit predictos tales accusare. Et quod dominus vicarius et eius iudex ad maleficia super dicta accusatione teneatur inquirere veritatem breviter et summatim. Et veritate reperta, si invenerint ipsum accusatum fraudolenter fuisse cancellatum et contra veritatem, quod teneantur ipsum facere de novo scribi super libro bandezatorum, et ibi narrare causam quare de novo scriptus est in ipso libro. Et hoc statutum sit truncum, precisum, ultimum, derogatorium in omnibus.

10.

Qualiter venditiones factae possint recuperari usque ad annum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si aliquis, qui fuisset bandezatus, carceratus, confinatus seu absentatus pro parte et occasione partis Capellatorum Çremonae, tempore quo pars Capellatorum Cremonae nuper erat extra civitatem Cremonae, vendiderit per se vel per suum procuratorem alicui existenti tunc in civitate Cremonae aliquas terras, domos, vel possessiones minori pretio quo tunc re vera valuerit, quod dicta venditio seu alienatio non valeat nec teneat in dammum seu praeiudicium vendentis seu alienantis, dum tamen ipse vendens, vel alienans, vel haeres eius paratus sit restituere ipsi ementi vel haeredi eius pretium quod re vera accepit, quod continetur in ipso instrumento. Et quod in eo casu predictus emptor et haeres eius praecise et absque solemnitate ordinis iudiciarii compellatur per dominum vicarium et eius iudices ad restituendum ipsi venditori seu haeredi eius praedictas res venditas, habita ratione melioramenti et deterioramenti. Et quod predicta valeant et teneant usque ad annum unum tantum, et predictus dominus vicarius et eius iudices teneantur observare et executioni mandare sub pena L librarum. Et hoc statutum sit truncum, precisum, ultimum et derogatorium omnibus in contrarium loquentibus.

11.

De eo quod solvi debet annuatim festivitati fratrum minorum.

Item eodem millesimo indictione et mense. Cum tempore quo carcerati partis ecclesiae de Cremona existens in castris Rumenenghi, Castrileonis, et alibi multas visitationes et consolationes receperint a fratribus minoribus ordinis Sancti Francisci de Cremona, qui se exposuerunt multis et continuis periculis in servitio ipsorum carceratorum. Et cum per ipsos carceratos, in honorem Dei et Beatae Virginis Mariae et Beati Francisci, ad ecclesiam eorum fratrum sit decens et laudabile consortium ordinatum ac etiam confirmatum. Ideo statutum et ordinatum est, ad hoc ut Deus intercessione Beati Francisci statum civitatis et partis ecclesiae de Cremona conservare dignetur, quod de caetero quolibet anno festum Beati Francisci per commune et homines Cremone debeat celebrari. Et quod in dicto festo ad altare Beati Francisci quolibet anno, expensis communis Cremonae, debeat offerri unum palium per rectores communis et populi Cremonae, et per consules et antianos populi, offerentes quilibet eorum et illi de familia ipsorum rectorum, quae expensae ascendunt usque ad quantitatem XXV librarum imp. Qui denarii annuatim debeant solvi per massarios communis Cremonae et gabellae abbatibus dicti consortii, qui pro temporibus fuerint, qui abbates expendant et expendere debeant dictos denarios in faciendo fieri dictum festum et occasione ipsius festi. Et hoc statutum sit truncum, praecisum, ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis provisionibus et reformationibus in contrarium loquentibus.

12.

De palio offerendo annuatim in festo S. Bartholomei ecclesiae eius.

Item eodem millesimo indictione et mense. Cum in festo sancti Bartholomei apostoli perfidissimus imperator Henricus decesserit, propter quod totum genus humanum ad salutem redactum sit, ideo statutum et ordinatum est, quod omni anno in festo dicti sancti Bartholomei, per commune Cremonae et de avere communis Cremonae, offeratur et detur per vicarium et capitaneum Cremonae unum decens palium ad ecclesiam sancti Bartholomei. Et quod consules et anziani et gabellatores cum rectoribus antedictis, cum singulis coreriis competentibus, expensis communis et gabellae Cremonae, dictae oblationi debeant interesse. Et hoc statutum sit truncum et praecisum et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis provisionibus et reformationibus tam communis quam populi in contrarium loquentibus.

13.

Quod villae combustae non cogantur solvere feuda potestatum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, cum villae et terrae districtus Cremonae, quae sunt prope civitatem per sex milliaria, quasi sint omnes combustae et desertae, quod dictis terris et villis vicinis civitati Cremonae per sex miliaria non dentur aliqui potestates nec compelli possint ad solutionem feudorum suorum. Et hoc statutum sit truncum, ut supra.

14.

De penis receptantium bannitos.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si quis de cetero receptaverit in domo sua aliquem bannitum civitatis Cremonae de homicidio, robaria, raptu mulieris, assassinatu, de mallexardia, de proditione

civitatis seu castrorum vel locorum civitatis Cremonae, vel de incendio seu incisione vinearum seu de aliquo delicto ingerente penam sanguinis, quod puniatur et condemnetur in L libris imper. Et quod villa, castrum seu locus in quo dictus bannitus receptaretur debeat condemnari in L libris imper. et consules in decem libris imp. nisi ipsum talem bannitum ceperint et praesentaverint communi Cremonae, vel saltem notificaverint domino vicario, seu eius iudici ad maleficia deputato, domum in qua receptaretur seu moraretur dictus bannitus. Et hoc statutum sit truncum et praecisum et ultimum et derogatorium omnibus in contrarium loquentibus.

15.

De pena descaregantis vel alebiantis aliquam navim mercatandiae sine parabola massariorum gabelle et de securitatibus recipiendis ad pontem Doxoli.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliqua navis alicuius mercatandiae sursum veniens per flumen Padi ad civitatem Cremonae non possit nec debeat in aliqua parte districtus Cremonae descaregari vel alebiari. Et si contra factum fuerit, quod ipsa navis cum ipsis mercatandiis debeat publicari et devenire in commune Cremonae, et quilibet sit accusator et habeat medietatem banni. Eo salvo quod si aliquis voluerit alebiare vel alebiari facere aliquam navem, quod hoc debeat significare massariis gabellae Cremonae seu illis qui pro temporibus praeessent ipsi gabellae. Et quod ipsi massarii seu alii qui praeessent dictae gabellae teneantur mittere, expensis mercatorum, duos vel unum legales homines ad videndum allebiari ipsam navem. Et quod notarii et officiales stantes ad pontem Doxoli teneantur accipere bonam securitatem ab illis qui conducerent seu conduci facerent ad civitatem Cremone ipsas naves de conducendis ipsis navibus cum mercatandiis ad civitatem Cremonae et de non descaregando ipsis navibus alibi quam ad portum Cremonae et de ipsis non alebiandis, aliter quam superius continetur. Et etiam mittere teneantur singulis decem diebus in scriptis predictis massariis seu illis qui praeerunt ipsi gabellae quantitatem dictarum navium et mercatandiarum existentium in dictis navibus, sub pena XXV libr. imper. Et hoc statutum sit truncum et precisum, ut supra.

16.

De penis vendentium et ementium salem.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliqua persona sive mascula vel foemina, civis vel forensis non audeat nec praesumat vendere vel vendi facere salem ad minutum in civitate vel suburbiis Cremonae nec etiam in districtu. Et si quis contrafecerit, quod ille qui vendiderit vel vendi fecerit dictum salem puniatur et condemnetur in XXV libris imp. et ille qui emerit, si emerit ab uno sextario infra, in viginti soldis imper., et si ab inde supra, condemnetur in XX soldis imper. pro quolibet sextario et in amissione salis emens et vendens. Et quod villa, castrum seu locus in quo seu qua venderetur sal contra predictam formam condemnetur in XXV libris imp. Consul vero ipsius terrae castri vel loci condemnetur in decem libris imperialium pro quolibet eorum, nisi venerit ad denuntiandum praedicta quatuor massariis gabellae seu illis qui pro temporibus erunt ad regimen ipsius gabellae. Et quod quilibet sua authoritate possit quemlibet portantem per se vel super aliquibus bestiis salem venalem per districtum Cremonae derobare de ipsis bestiis et sale. Et quilibet de praedictis possit esse accusator et habeat medietatem banni et condemnationis. Et quod praedicti quatuor massarii seu illi qui pro temporibus praeerunt ad regimen ipsius gabellae et etiam dominus capitaneus et quilibet ipsorum, super predictis habeant plenum et liberum arbitrium procedendi, inquirendi, cognoscendi per coniecturas et indicia et questiones et quibuscumque aliis modis quibus de predictis melius crediderint veritatem invenire et condemnationes facere, secundum formam et modum quod superius continetur. Et hoc statutum sit truncum et precisum, etc. Et quod per dominum vicarium, capitaneum vel alios officiales dari non possit licentia seu gratia concedi de conducendo salem per aliquod commune seu villam in episcopatu Cremonae vel alibi, nisi de sale salariorum gabellae communis Cremonae, non obstante aliqua conventione seu gratia facta alicui loco per commune Cremonae.

17.

De penis portantium arma vetita per civitatem et suburbia Cremonae.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si aliquis civis vel districtualis Cremonae nec etiam forensis non audeat nec praesumat portare de die vel de nocte aliqua arma ad offensionem vel defensionem per civitatem vel suburbia Cremonae. Et quod si aliquis inventus fuerit portare dicta arma, et fuerit civis vel districtualis Cremonae, condemnetur et condemnari debeat in centum soldis imp. si fuerit de die. Et si fuerit de nocte, condemnetur in decem libris imp. et in amissione predictorum armorum. Si vero fuerit forensis, penae intelligantur duplicatae et duplicentur. Et quod ipsi forenses non possint relaxari, nisi solverint dictum bannum seu depositionem fecerint in pecunia numerata penes massarios gabellae Cremonae. Cives autem et districtuales Cremone qui sic reperti fuerint, si voluerint dare fideiussores idoneos, debeant relaxari. Et quod aliquis cuiuscumque conditionis existat, qui repertus fuisset portare ipsa arma, a dictis condemnatus non possit liberari vel alsolvi. Et hoc statutum sit truncum etc. Eo salvo quod predicta non habeant locum in aliquibus venientibus a suis terris vel possessionibus vel clausuris ad civitatem Cremonae, vel etiam euntibus ad aliquas terras vel possessiones vel clausuras, haben-

tibus ipsa arma ligata ad manicum vel habentibus capellum, et in foresteriis euntibus extra civitatem Cremonae ad aliquam aliam civitatem, vel etiam de alia civitate venientibus ad civitatem Cremone, de quibus debeat fieri probatio per duos testes vel alias legitimas coniecturas in deliberatione rectoris, cuius familia dicta arma invenisset. Et hoc statutum sit truncum, etc.

18.

De penis portantium arma absconsa.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si aliquis cuiuscumque conditionis existat civis vel forensis de die vel de nocte repertus fuerit portare aliqua arma offendibilia absconsa, quod puniatur in L libris imp. et quod de carceribus non debeat relaxari donec solverit condemnationem predictam. Et hoc statutum sit truncum, etc. Et absconsa intelligantur, si repertus fuerit alibi habere arma quam in locis consuetis, ubi insuetum sit communiter portare arma. Et quod inventor teneatur facere scribi ubi et in qua parte personae habuerit dicta arma.

19.

De penis euntium de nocte sine lumine.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si aliquis civis vel districtualis Cremonae inventus fuerit de nocte sine armis et cum lumine quod nihilo puniatur. Et tres possint esse ad unam candelam seu lumen. Si vero sine lumine inventus fuerit, siquidem in sua vicinia puniatur in quinque soldis imp. et si extra suam viciniam, in decem soldis imp. In forensibus autem penae duplicentur, sive cum lumine sive sine lumine reperti fuerint ire de nocte per civitatem et suburbia Cremonae, nec relaxari (!) quousque dicta banna solverint in pecunia numerata. Et hoc statutum sit truncum et precisum etc.

20.

De inquisitione facienda per dominum vicarium et capitaneum super armis et euntibus de nocte.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod domini vicarius et capitaneus praesentes et futuri et eorum et cuiuslibet eorum familiae possint inquisitionem et inventionem facere super dictis armis et euntibus de nocte et processus facere et condemnationes secundum formam predictorum statutorum. Et hoc statutum sit truncum et derogatorium omnibus aliis statutis et provisionibus in contrarium loquentibus.

21.

Quomodo concedi debet licentia portandi arma defensionis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod alicui persone non possit modo aliquo vel ingenio concedi licentia seu parabola per aliquos rectores communis seu populi Cremonae portandi aliqua arma ad offensionem. Ad defensionem vero possit concedi licentia, iusta causa interveniente, quae debeat approbari per ipsos rectores, consules et anzianos et dominum executorem, facto partito inter eos ad bussolas et ballottas, quorum duae partes sint in concordia. Et hoc statutum sit truncum et ultimum et derogatorium etc.

22.

De certis guardis faciendis pro custodia terrarum et clausorum Maraschi.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod pro custodia terrarum et clausorum Maraschi, Stabielli et aliarum contratarum vicinantium praedictis partibus, quod una guardia fiat sufficiens super ecclesia Stabielli, expensis communis Cremonae, qualis videbitur dominis vicario et capitaneo consulibus et anzianis et aliis sapientibus, quos super hoc habere voluerint. Et alia guarda fiat super turri monasterii Cavae vel super costa Passarini, secundum quod melius videbitur fienda, expensis hominum habentium facere in dicta contrata et ab inde citra usque ad civitatem. Et alia fiat super turri Maraschi similiter, expensis habentium facere in illa contrata usque ad civitatem. Et fiant praedictae guardae per superstantes seu officiales super suprascriptis laboreriis deputandos, illo modo et forma prout sapientibus super hoc deputandis videbitur convenire.

23.

De pena tabernarii male mensurantis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod omnes et singuli tabernarii seu vinum vendentes ad minutum in civitate et suburbiis Cremonae, non possint condemnari pro aliqua bozola male mensurata nisi in soldis viginti imper., non obstantibus aliis statutis et provisionibus in contrarium etc.

24.

De electione anzianorum et quod hoc statutum legatur in qualibet electione anzianorum et quod statuta sint trunca et precisa.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod electio consulum et anzianorum debeant fieri ad tria brevia, ad hoc ut meliores et sufficientiores consules et antiani habeantur. Et quod aliquis non possit nec debeat eligi in consulem vel antianum populi, nisi sit vel esse intelligatur de dicta societate. Et si contra factum fuerit, ipsa electio nullius sit momenti. Et quod capitaneus teneatur super praedictis inquirere et praedicta executioni mandare. Et presens

statutum in electione quorumlibet consulum et anzianorum predictus dominus capitaneus faciat legi. Et predicta omnia statuta loquentia de electione domini executoris et prioribus colegiorum et paraticorum et eorum iurisdictione et aliis dependentibus ab eisdem et alia statuta loquentia de societate populi sint trunca et precisa et ultima et derogatoria omnibus aliis statutis et provisionibus tam communis quam populi in contrarium loquentibus. Eo salvo quod communitas Citanovae possit eligere suos consules, prout sibi placuerit, non obstante praedicto statuto.

25.

Quod civitas et populus Cremonae non possit subiici sub aliquo domino excepta persona domini Regis et de penis tractantium contra predicta.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod civitas et populus Cremonae et pars Capellatorum Cremonae, modo aliquo vel ingenio, nec sub aliquo titulo vel colore capitanariae, gubernatoriae, vel alicuius praeheminentiae, non possit in perpetuum subiici sub dominio vel sub iurisdictione alicuius personae, civis vel forensis, undecumque sit vel cuiuscumque status vel praeheminentiae existat. Ita quod aliqua alia persona non possit praetextu alicuius concessionis, privilegii, sive gratiae sibi concessae, aliquam iurisdictionem, honorem vel dominium sibi vendicare in civitate seu districtu Cremonae, excepta persona domini Regis nostri Roberti eiusque senescalco, secundum formam conventionum factarum per commune Cremonae cum praedicto domino senescalco, et exceptis dominis vicario capitaneo et eorum officialibus et aliis qui secundum formam dictarum conventionum et statutorum communis et populi Cremonae suam iurisdictionem valeant exercere, et exceptis officialibus dicti domini Regis, qui in Cremona deputarentur per ipsum dominum Regem vel senescalcum pro suis iuribus et reditibus manutenendis et colligendis. Et quod contra praedicta vel in fraudem praedictorum, modo aliquo vel ingenio, directe vel indirecte, in aliquo consilio generali seu populi vel etiam partis, vel etiam aliquo consilio sapientum, non possit aliquid proponi, consuli vel reformari, et si contrafieret, factum ipso iure nullius sit momenti. Et nihilominus vicarius et capitaneus qui praedictis consenserint, seu qui contra praedicta fieri permiserint vel fecerint, condemnentur in centum libris imp. pro quolibet eorum, per sindicatores eorum tempore sui sindicatus. Et qui arengaverit condemnetur in XXV libris imp. Et quod praedictus dominus executor cum consulibus et prioribus dictorum collegiorum teneantur dare operam cum effectu, quod contra praedicta vel in fraude praedictorum nihil fiat, proponatur vel reformetur. Et si reformatum fuisset, cum diligentia procurent illud facere revocari. Et hoc statutum sit truncum et precisum et derogatorium, etc.

26.

Quod consules nec anziani durantibus eorum officiis non possint ire in aliquam ambaxatam, nec ad custodiam alicuius castri.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliquis consul vel antianus durante eorum officio modo aliquo vel ingenio non possit eligi nec ire in aliquam ambaxiatam extra civitatem Cremonae, et quod durante eorum officio, aliquis de dictis consulibus vel antianis non possit eligi ad aliquod officium ordinarium vel extraordinarium, vel ad custodiam alicuius castri vel loci districtus Cremonae, nec pro capitaneo nec aliquo alio modo, nisi ad brevia eligeretur in consiliis, in quibus brevia darentur. Et quod praedicti domini vicarius et capitaneus praesentes et futuri teneantur facere observari tam in presentibus consulibus et anzianis quam etiam in futuris, sub pena L librarum, et in tantum debeant sindicari. Et hoc statutum sit truncum et precisum et ultimum et derogatorium omnibus aliis contrarium loquentibus.

27.

De his qui non possunt esse ambaxiatores communis nec custodes castrorum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliquis non possit eligi pro ambaxiatore ad eundum in aliquam ambaxiatam ad aliquas partes, nec etiam pro capitaneo alicuius castri seu loci districtus Cremonae, nisi fuerit de bandezatis, confinatis, carceratis et absentatis pro parte et occasione partis Capellatorum Cremonae, et tanquam homo de dicta parte, vel nisi fuerit pater, frater vel filius vel ablaticus vel nepos alicuius de dictis bandezatis, de patrimonio, confinatis, carceratis et absentatis. Et si contra praedictam formam aliquis electus fuerit, ei non possit fieri aliqua solutio de avere communis et gabellae Cremonae. Et hoc statutum sit truncum, precisum, ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis provisionibus et reformationibus in contrarium loquentibus tam communis quam populi.

28.

De honoribus illorum de Citanova.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod ad hoc ut honor et iurisdictio Civitatatis novae servetur in totum, sicut hactenus fieri consuevit, quod nullum consilium publicum vel privatum possit fieri, nisi unus ex consulibus civitatis novae qui appellatur consul populi interfuerit in dicto consilio. Et quod quarta pars omnium honorum sit et pertinere debeat ad comunitatem Citanovae, tam in honore executoris, quam in quibuscumque honoribus.

29.

Quod rectores et officiales non possint aliquem detinere qui paratus sit dare bonos fideiussores dummodo non sequatur condemnatio corporalis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod in omnibus et singulis maleficiis seu casibus in quibus, secundum formam statutorum communis seu populi Cremonae, vel ipsis deficientibus, secundum formam iuris communis, pena pecuniaria imponenda est et non corporalis, dominus vicarius et capitaneus presentes et futuri et eorum familiae et omnes alii iudices et officiales communis Cremonae non possint aliquem de civitate vel de districtu Cremonae, inculpatum de ipsis maleficiis, contra quem procederetur per accusationem, denuntiationem vel notificationem, inquisitionem, vel ex officio aut alio quocumque modo, detinere vel in carceribus ponere vel facere poni, dummodo ille talis, contra quem proceditur aliquo de predictis modis, voluerit dare bonos et idoneos fideiussores et habiles ad conveniendum et qui non sint de magnatibus de solvendo totum illud in quo condemnaretur, si reperiretur culpabilis de maleficio, cuius occasione proceditur contra ipsum, et de se presentando occasione ipsius maleficii. Et quod non compellatur nec compelli possit ad faciendum aliquod depositum pecuniae seu etiam pignorem, occasione ipsius maleficii seu condemnationis fiendae de ipso iure, sive probatum maleficium sive non. Et quod incontinenti postquam dictus inculpatus dederit ipsos fideiussores seu se obtulerit paratum dare, ille rector et iudex seu officialis, coram quo fiet talis processus, teneatur incontinenti ipsum relaxare seu relaxari facere. Et si contra praedicta aliquis rector, iudex vel officialis fecerit vel etiam facere omiserit, puniatur et condemnetur in L libris imper. et in tantum tempore sui sindicatus debeat sindicari. Et quod in aliquibus maleficiis seu in aliquo processuum factorum vel fiendorum occasione aliquorum maleficiorum non possint aliqui recipi in fideiussores de magnatibus seu qui magnates communiter intelliguntur et habentur. Et hoc statutum sit truncum, etc.

30.

Quod penae duplicentur contra foresterios committentes maleficia in personis civium vel districtualium Cremonae.

Hic nihil amplius erat in nigro, ideo omisimus.

31.

De assasinis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod si quis tractate et apensate assassinaverit aliquem civitatis vel districtus Cremonae vel aliunde, et intelligatur assassinasse, qui pecunia accepta seu promissa vel precibus alicuius vel ad instantiam seu petitionem alicuius aliquem percusserit seu vulneraverit, et exinde sanguis non exivit, quod puniatur in amputatione manus. Si vero sanguis exierit, ultimo supplicio puniatur. Si vero alium interfecerit, quod ipse debeat traxinari per civitatem Cremonae et furcis suspendi sic quod moriatur, et bona ipsius debeant publicari et domus destrui. Si vero non pervenerit in fortiam communis Cremonae, perpetuo banniatur, de quo, modo aliquo seu ingenio, non possit nec debeat in perpetuum extrahi per consilium vel per arengum. Et eaedem penae sibi locum vendicent contra illos qui tractassent seu fieri fecissent malleficia praedicta. Et in praedictis omnibus et singulis dominus vicarius praesens et futurus habeant plenum et liberum arbitrium inquirendi procedendi, praecedentibus legitimis indiciis et sine, ac prout et sicut ei melius videbitur, pro inveniendo veritatem ipsorum maleficiorum. Et hoc statutum sit truncum et derogatorium etc.

32.

Quod banniti de malexardia possint impune offendi.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod omnes et singuli banniti de malexardia, tam qui scripti sunt in libris bandezatorum, quam et illi qui scripti non sunt, qui tamen hahentur pro bandezatis de malexardia per formam alicuius statutis communis vel populi Cremonae, possint impune offendi in avere et personis. Et quod occasione ipsius offensionis aliqua accusatio non possit nec debeat recipi, nec inquisitio formari, vel aliquis processus fieri. Et si recepta foret vel processus foret inchoatus per rectores vel eius iudices, ulterius non procedatur. Et quod omnia statuta loquentia de offendentibus bannitos de maleficio, in illis casibus in quibus banniti possint impune offendi, vendicent sibi locum in favorem et defensionem illorum qui offendissent seu offenderent bannitos de malexardia, seu qui banniti de malexardia habentur et tenentur vel esse intelliguntur, secundum formam alicuius statuti communis vel populi. Et hoc statutum sit truncum, etc.

33.

Quod rectoribus adiungi non possint aliqui officiales expensis communis et de cetero non habeant soldaterios.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod praesentibus vicario et capitaneo vel eorum successoribus, modo aliquo vel ingenio in aliquo consilio publico vel privato generali seu speciali nec per aliquam provisionem seu aliquod capitulum communis Cremonae, non possit dari seu adiungi aliquis officialis nec sub titulo iudicis militis seu notarii nec aliquo alio modo, ultra illos quos secum habent seu habere debent secundum formam statutorum et conventionum. Et quod de cetero aliquis vicarius seu capitaneus, qui deinceps eligentur ad regimen ci-

vitatis Cremonae, non possint habere aliquos stipendiarios seu soldaterios expensis communis Cremonae. Et quod contra praedicta vel in fraudem praedictorum aliquid non possit fieri vel proponi modo aliquo in aliquo consilio publico vel privato Et hoc statutum sit truncum, precisum, ultimum et derogatorium, etc.

34.

De electione domini executoris iustitiae et solemnitatibus servandis.

Item eodem millesimo indictione et mense. Cum multa maleficia, robariae, incendia et homicidia et alia horribilia continue committantur in civitate et districtu Cremonae, et illi de populo et de paraticis a magnis et potentibus continue contumeliis et violentiis affligantur. Et etiam cum hinc retro statuta tam communis quam populi per rectores tam communis quam populi non bene fuerint observata. Et etiam cum avere communis Cremonae indebite expendatur et dilapidetur. Et etiam multa, inconsultis et irrequisitis consulibus et anzianis, fiant per rectores communis Cremonae tangentia statum communis Cremonae et partis ecclesiae de Cremona. Et propter ea consules collegiorum, iudicum, notariorum et mercatandiae principales fuerint in procurando quod per populum Cremonae super praedictis deberet salubriter provideri. Idcirco pro observatione et executione iustitiae fienda in civitate Cremonae, et ut cessent violentiae, robariae, homicidia et alia maleficia, et ut illi de populo et de artibus a potentibus vel a quibuscumque aliis indebite non opprimantur, et ad hoc ut statuta communis et populi Cremonae per rectores debeant observari, et ut populus et honor populi ad honorem domini nostri Regis augeatur et pro defensione partis ecclesiae de Cremona, et ad hoc ut avere communis non expendatur indebite, statutum et ordinatum est, quod pro executione omnium praedictornm et aliorum quae fuerint utilia communi et populo Cremonae et parti ecclesiae de Cremona modo infrascripto et omnium amicorum et pro maiori firmitate populi Cremonae, incontinenti publicatis dictis statutis loquentibus de executore vel quam citius poterit, eligatur et eligi debeat unus qui vocetur executor iustitiae in hunc modum videlicet: quod consules iudicum et notariorum, qui sunt de populo, qui consules erant consules de mense decembris sub MCCCXIII, eligant duos ex consulibus mercatandiae quos voluerint. qui consules insimul se congregent in camera palatii communis Cremonae vel alibi eligant tres per portam de infrascriptis collegiis, universitatibus, paraticis. Et qui omnes consules et sapientes sic insimul existentes. antequam recedant de dicta camera, eligant ipsum executorem, ubi duae partes eorum fuerint in concordia, facto inter eos partito ad bussolas et ballotas vel aliter prout eis melius videbitur. Et qui sic electus fuerit intelligatur esse executor iustitiae authoritate praesentis statuti. Et quod alii executores in posterum eligendi debeant eligi ante per unum mensem exitus executoris. per consules dictorum collegiornm qui pro tempore fuerint, qui sint de populo tantum. Et priores ipsorum collegiorum et priores infrascriptae universitatis et artium eligentur per infrascriptum modum cum quatuor sapientibus per portam de populo tantum eligendis per dictos consules dictorum collegiorum de populo. Cuius executoris officium duret et durare debeat per tres menses tantum. Et quod aliquis non possit eligi in executorem, nisi fuerit de dictis artibus seu colegiis et de universitate et de populo, et propriis manibus faciat seu exerceat artem suo corpore dictorum collegiorum seu paraticorum et universitatis. Et quod praedictus executor debeat esse maior aetate triginta duorum annorum. Et quod aliquis, qui de novo entraret in aliquo de dictis collegiis seu infrascriptis paraticis, non possit eligi nec esse executor usque ad quinque annos, computandos a tempore quo intravit dicta collegia seu paratica. Et in priorem alicuius collegii seu artis aliquis non possit eligi, nisi fuerit de ipsis collegiis seu paraticis, et artem suis propriis manibus vel corpore convenientem ipsi collegio seu paratico exercuerit. Et quod aliquis, qui de novo intraret dicta collegia seu paratica, non possit eligi in priorem illius collegii seu paratici usque ad tres annos, a tempore dicti introitus computandos, qui priores etiam debent esse de populo tantum. Et quod si aliquis reciperetur in aliquo collegio seu paratico de novo, et coram praedicto domino executore et consulibus praedictorum collegiorum et paraticorum accusaretur publice vel privatim quod esset receptus in fraudem praedictorum et collegiorum et paraticorum, quod dictus dominus executor cum praedictis consulibus et prioribus debeant examinare praedictum sic receptum de novo, et approbari per ipsos, facto partito inter eos ad bussolas et ballottas, quorum duae partes sint in concordia. Et si ipse talis per eos fuerit reprobatus, quod incontinenti dictus dominus executor praedictum sic receptum debeat cassare de dicto collegio seu paratico, et pro cassato habeatur, et quod consules illius collegii seu paratici, qui illum recepissent, a consulatus officio debeant cassari et pro cassis debeant haberi.

35.

De his qui non possunt eligi executores iustitiae.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliquis non possit esse nec eligi executor iustitiae, nisi fuerit bandezatus, confinatus seu absentatus pro parte vel occasione partis Capellatorum Cremonae vel nisi fuerit filius, pater vel frater vel ablaticus seu filius fratris de patrimonio alicuius praedictorum bandezatorum, confinatorum, carceratorum et absentatorum.

36.

De his qui esse non possunt executores iustitiae priores nec consules collegiorum et paraticorum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod nullus possit esse

executor vel prior nec consul dictorum collegiorum, universitatis et paraticorum, qui hinc retro steterit tanquam nobilis in platea communis Cremonae et societatis militum et bagordantium. Et si contrafactum fuerit, electio sit ipso iure nulla. Et electores priventur eorum collegiis, universitate et paraticis et beneficiis ipsorum. Item eodem millesimo indictione et mense providerunt, quod infrascripta sint illa collegia, paratica et artes de quibus fit mentio supra et infra et quae debent habere priores et se congregare ad requisitionem dicti executoris et eidem obedire ad suprascripta et infrascripta executioni mandanda per ipsum dominum executorem pro honore domini Regis et suo officio exequendo et pro iustitia conservanda. Nomina vero collegiorum sunt haec: Collegium Iudicum — Collegium Notariorum — Nota paraticorum sunt haec: Paraticum Tabernariorum et Albergatorum — Paraticum Beccariorum — Paraticum Pugnolatorum Citanovae — Paraticum Pugnolatorum omnium Sanctorum et citra aquam — Paraticum Speciariorum et Formaglariorum — Paraticum Pelipariorum novorum et veterum — Paraticum Calegariorum novorum et veterum et Confectorum — Paraticum Tinctorum et Curatorum — Paraticum Ferrariorum — Paraticum Texitorum panni lini et Linariorum et Merzadrorum — Paraticum Draporum (1), Robariorum, Pateriorum et Sertorum — Paraticum Muratorum et Magistrorum Manariae — Paraticum Piscatorum, Mulinariorum, Navaroliorum et Pistorum — Paraticum et Universitas Mercatandiae. Sub quo paratico et sub qua universitate comprehendi et intelligi debent, et sic intelligantur et comprendantur sub dicta mercadantia, omnia alia paratica et aliae artes non superius specificata vel specificatae, cuiuscunque conditionis sint, et esse debeant suppositae et supposita sub priore et consulibus mercadantiae et regantur et congregentur per eos. Qui prior et consules teneantur, nomine et vice dictarum artium, habere et eligere duos priores, qui sint de dictis artibus non specificatis, et intelligantur esse priores ipsarum artium, et quae electio fiat gradatim de arte in artem.

37.

Rubrica per quantum tempus cessare debent executores.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod executor qui pro tempore eligetur modo praedicto debeat cessare per duos annos a tempore depositionis officii sui, nec ad illud officium possit esse neque eligi ipse vel aliquis de sua progenie vel casali. — Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod dominus executor qui pro temporibus erit, sit toto tempore officii sui et intelligatur esse in numero anzianorum et consulum populi Cremonae, et sit et intelligatur esse executor iustitiae et prior et abbas ipsorum consulum et anzianorum et ante eos in stando et eundo sit et esse debeat. — Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod dictus dominus executor habeat et habere debeat authoritatem et bayliam eligendi modo infrascripto ambaxiatores et sapientes cum consulibus et anzianis suae portae, et alia omnia et singula facere cum eis tamquam unum anzianum, quae possint et poterant illi anziani seu consules in cuius porta esset ipse executor, et ita debeat tractari et haberi per dominum vicarium et capitaneum et alios consules et anzianos electos et pro tempore eligendos. — Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod aliquod consilium publicum vel privatum non possit fieri per ipsos rectores vel aliquem eorum nisi eo praesente vel saltem citato et requisito, de qua citatione et requisitione in scriptis appareat, salvo quod in ipsis consiliis fiendis vel non fiendis maiorem bayliam habere non intelligatur quam unus ex antianis et consulibus populi Cremonae. Quae quidem consilia rectores fienda per commune Cremonae, teneantur ipsi rectores vicarius et capitaneus et quilibet eorum et vices eorum gerentes facere de cetero et congregare in cameris palatii novi vel veteris communis Crèmonae, ubi consueverunt ipsa consilia celebrari et non alibi. — Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod dictus dominus executor teneatur et debeat quolibet mense, videlicet prima die dominica cuiuslibet mensis saltem et plus si necessarium fuerit, convocare super palatio mercatandiae suprascriptos consules dictorum collegiorum iudicum et notariorum et mercatandiae et priores ipsorum collegiorum et suprascriptorum paraticorum seu artium praedictarum, cum quatuor sapientibus per portam et de populo tantum qui sint extra numerum dictorum et collegiorum et paraticorum, si dicto executori et consulibus pro meliori videbitur ultra numerum illos quatuor convocare. Et quod voce praeconis praemissa et consilio mercatandiae pulsato, secundum quod eius videbitur expedire, et inter ipsos sic congregatos, propostam facere generalem super bono statu civitatis et districtus Cremonae et dictorum collegiorum et paraticorum et artium et generaliter totius populis Cremonensis, et ad honorem potissimum et exaltationem domini nostri Regis, et ad statum perpetuum et bonam firmitatem totius populi et communis et pro iustitia conservanda. Et quicquid providerint, deliberaverint et ordinaverint esse faciendum, teneantur domini capitaneus, consules et anziani populi Cremonae ponere ad consilium generale populi omne id et totum quod fuerit deliberatum per ipsos executorem, consules et priores, et in consilio propostam facere ad requisitionem ipsorum executoris, consulum, anzianorum et priorum, et in quo consilio sint et esse debeant ad minus CC credenderii. Et omne illud et totum quod fuerit stabilitum per maiorem partem ipsius consilii teneantur domini vicarius et capitaneus et quilibet eorum et alii rectores et officiales existentes in Cremmona pro communi et regia maiestate inte-

(1) *Draperiorum?*

graliter observare et observari facere et manutenere et executioni mandare, tanquam statutum populi, dummodo non esset vel factum esset contra conventiones et pacta domini nostri Regis.

38.

De cassatione provisionis in qua continetur quod nulla persona possit secum ducere ultra quatuor homines.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum ed ordinatum est, quod cum alias provisum fuerit per certos sapientes electos, et reformatum per eos de mense ianuarii sive februarii proximi, preteriti vel presentis, propter quandam discordiam et zinzaniam, quae dicebatur esse inter magnates Cremonae, scilicet quod nulla persona cuiuscumque conditionis existat possit et debeat ducere secum ultra quatuor homines . . . et nunc ad praesens sit sublata et extirpata omnis praedicta discordia et zinzania, et inter eos concordie generata sit, quod ad hoc ut ipsa talis concordia perpetuo conservetur inter eos et manuteneatur et ut inter eos careat omni suspicione, et etiam propter casus occurrentes et conditiones quae sunt in civitate Cremonae propter inimicos et rebelles qui sunt in castris, et certis rebellibus communi Cremonae, quod ad hoc ut dicti magnates et etiam aliae personae civitatis Cremonae possint ad invicem stare et providere circa distructionem nostrorum inimicorum, dicta provisio sed dictum statutum, cum quolibet alio statuto loquente de supradicta materia, sint cassa et vana seu cassum et vanum et nullius valoris, et pro cassis et vanis habeatur authoritate praesentis statuti.

39.

De factionibus faciendis in illis viciniis in quibus faciebant tempore Brixiensium et Mantuanorum.

Iteom eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod cum occasione provisionis quae est ad officium gabellae loquentis quod quilibet teneatur subire et onera et factiones... propter quod multae altercationes et dubitationes oriebantur, ut dictae altercationes et dubitationes tollantur, quae possent oriri, quod quilibet civis Cremonae teneatur et debeat sustinere omnia onera et factiones in illa vicinia in qua sustinebat et faciebat temporae guerrae Brixiensium et Mantuanorum. Et quod in aliqua alia vicinia non possit, nec debeat compelli ad aliqua onera sustinenda nec facienda, salvo quod hoc locum non habeat, in pixonentis, quae facere et substinere teneantur in illis viciniis in quibus hodie stant et habitant, dum tamen ipsi pixonenti tempore dictae guerrae non habuerint aliquas domos proprias in aliquibus aliis viciniis et in ipsis habitavissent tempore dictae guerre. Et quod quilibet qui non sit civis teneatur facere factiones in illa vicinia in qua hodie stat et habitat, non obstante aliquo statuto generali nec speciali. Et quod praedicta locum sibi non vendicent in datione salis, et in guardis.

40.

Quod consules nec massarii aggraventur pro viciniis suis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod consules seu massarii vicinarium Cremonae non teneantur pro vicinia sua nec pro vicinis eorumdem, dum tamen parati sint reddere rationem de eo quod ad eos pervenerit seu perveniret nomine dictae viciniae suae et vicinorum, et dare in scriptis domino potestati vel capitaneo et eorum familiis vel officialibus ad hoc deputatis nomina illorum vicinorum qui factiones communis Cremonae pro parte summae suorum libellorum facere recusarent et pro guardis.

41.

De quarteriis viciniarum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod quaelibet vicinia civitatis et burgorum Cremonae, quae consueverat esse divisa per quarteria, quod dicta quarteria intelligantur auctoritate praesentis statuti esse firma, et in eo statu permanere in quo esse consueverant. Et quod omnes aliae viciniae civitatis et burgorum Cremonae, quae non consueverant habere quarteria, possint facere quarteria de novo, unum et plura, ad eorum liberam voluntatem. Et quod de cetero non possit agravari unum quarterium pro altero pro aliquo onere imposito vel imponendo per commune Cremonae dictis vicinantiis quae essent divisae per quarteria, dum tamen quodlibet quarterium faciat et sustineat suam partem oneris impositi in sua vicinia. Et quod quolibet quarterium teneatur habere unum massarium qui non possit cogi pro alio, pena et banno cuilibet officiali contrafacienti L librarum imper, de eorum salariis auferenda.

42.

De summa CC^{m} librarum dividenda per vicinias.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod una summa CC^{m} librarum imperialium imponatur per civitatem et burgos Cremonae, quae summa debeat dividi per portas et vicinias civitatis et burgorum Cremonae. Et quod domini potestas et capitaneus teneantur infra tertiam diem a tempore publicationis praesentis statuti ponere ad consilium communis vel populi Cremonae, vel ad quod alium consilium sibi melius et utilius videbitur, de modo et forma dividendi dictam summam per portas et vicinias civitatis et burgorum Cremonae. Et quod omnis alia summa quae hinc retro fuisset imposita et divisa per portas et vicinias civitatis Cremonae, authoritate praesentis statuti sit et esse intelligatur cassa. Et quod super ea summa non possit imponi aliquod fodrum, nec gravamen, salvo quod summa praesens libellorum habeat locum donec alia summa de novo facta fuerit.

43.

Quod illi quibus devastatae fuerunt domus tempore imperatoris habere debeant unam domum peraeque bonam.

Istud statutum omissum fuit vitio et incuria posterorum.

44.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod omnes et singuli confinati qui reperirentur scripti pro confinatis in aliquibus libris vel actis communis vel populi Cremonae, et quos non appareret ostendisse publica instrumenta sicut ivissent et stetissent ad confinia eis ordinata per commune Cremonae, sive reperirentur cancellati vel non cancellati, quod habeantur et teneantur authoritate praesentis statuti pro bandezatis de malexardia communis Cremonae, et quod bona eorum pro publicatis habeantur. Et hoc statutum sit truncum et praecisum.

45.

De pecunia deputata pro refectione pontis Padi.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod potestas et capitaneus et dominus Matheus iudex sacramento precise teneantur et debeant dare operam cum effectu quod pons Padi reficiatur et compleatur in totum, et quod omnis pecunia alias deputata ad introitum ipsius pontis pro refectione et manutentione ipsius pontis deveniat et pervenire debeat in massarium ipsius pontis. Et quod ipsa pecunia nullo casu seu ingenio quod dici vel excogitari possit expendi valeat nec debeat nisi solummodo in utilitate ipsius pontis. Et quod omnia statuta provisiones et reformationes facta et factae pro refectione et manutentione dicti pontis valeant et teneant et pro statutis populi habeantur. Et praedicta omnia et quaelibet praedicti domini potestas et capitaneus et quilibet alius officialis Cremonae, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, pena et banno L librarum imperialium de salariis cuiuslibet eorum, teneantur et debeant executioni demandare et mondari facere. Et hoc statutum sit truncum et praecisum in qualibet parte sui et ultimum et derogatorium omnibus aliis statutis, salvo quod non praeiudicet salariis dominorum potestatis et capitanei praesentium.

46.

Quod potestas et capitaneus non possint secum ducere aliquem iudicem socium vel familiarem qui non sit de sua civitate vel aliquem bandezatum vel confinatum.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum et ordinatum est, quod potestates et capitanei qui pro temporibus erunt et venient ad regimina civitatis Cremonae non possint nec debeant aliquo modo secum ducere aliquem iudicem socium seu aliquem alium de familia sua, qui non sit oriundus de civitate propria ipsius potestatis et capitanei, neque alium iudicem et socium qui de sua propria civitate sit bannitus vel confinatus, pena et banno C librarum imperialium de salariis cuiuslibet eorum.

47.

De sapientibus eligendis pro custodia examinanda burgorum et civitatis.

Desideratur statutum quia bibliopola in quem inciderat incidit.

48.

De contractu.

Item eodem millesimo indictione et mense. Quoniam premia tribui merentibus convenit et ut ad benefaciendum bonum exemplum aliis tribuatur. Cum multi et multi boni homines, tam nobiles, quam populares, tempore quo perfidus et iniquus dominus Mapheus Vicecomes, ante adventum iniquissimi Romanorum regis dictus imperator, civitatem et comitatum Mediolani regnabat, in magnis necessitatibus tunc communi et populi et parti ecclesiae Cremonae Laudae et terrae Cremae dominare volebat, in multis et quam pluribus contractibus et diversis temporibus multas et multas quantitates pecuniae ad quatuor denarios librae, certis pactis et conditionibus in dictis contractibus insertis, pro defensione et manutentione civitatum praedictarum et offensione dicti D. Maphaei Vicecomitis et eorum sequacium mutuaverint, non timendo quod perderent vel perdere possent dictas pecunias et quantitates, quas quidem si non mutuassent, civitates Cremonae Laudae et terra Cremae in destructionem et ad subiectionem praedicti D. Maphaei Vicecomitis propter defectum pecuniae, quod absit, poterant devenire. Et cum tempore D. Oddonis de Canalli olim potestatis Cremonae, dicti creditores et quam plures alii cives et districtuales et certa communia castrorum et terrarum episcopatus Cremonae per dictum dominum Oddonem de Canalli potestatem constricti fuerant reducere dictos suos contractus, et mutuare dictos denarios ad duos denarios librae occasione exgravandi et affrancandi gabella communis Cremonae, quod si dicti creditores, cives, et dicta communia terrarum non fecissent, gabella praedicta in magno damno et periculo poterat advenire, sic quod nunquam dicta gabella exigi potuisset. Et ad iniustum et incongruum esset ius talibus denegare et bonum pro malo reddere, set conveniens esset quod bonum et optimum praemium reddetur. Idcirco statutum et ordinatum est, quod omnes contractus facti et celebrati tempore praefati domini Oddonis de Canali potestatis suprascripti et ab inde citra positi ad duos denarios librae occasione contractus salis et ceteriorum aliorum contractuum factorum et positorum ad duos denarios librae occasione exgravandi et affrancandi dictam gabellam, per Ioan-

nem de Gavata sive Duxinum de Stella notarios seu per alterum eorum et per quam plures alios notarios Cremonae, et omnia statuta, reformationes et provisiones...

49.

Deficit reliquum.

...ficta furmenti, bladi seu alterius annuatim reddenda seu ad alios terminos, quae ficta solvere non potuerunt propter durissimas et graves passiones, tribulationes et damna averis et personarum, quae passi fuerunt anno proxime praeterito et praesenti. Idcirco statutum est, quod omnes habere debentes ficta furmenti ab aliqua persona de parte ecclesiae Cremonae non possint exigere pro ficto dicti furmenti anni proximi praeteriti, a tempore quo venit D. Franciscus de Cravixana pro vicario civitatis Cremonae usque ad tempus publicationis praesentium statutorum, aliter quam infra continetur. Et praedictum beneficium locum babeat in volentibus solvere modo infrascripto per totum mensem iulii proxime venientem dummodo factum fuerit bannum seu denuntiatio per dominum seu creditores pro ficto praedicto, ubi tantum pretium quantum de pretio ipsius frumenti convenit, prout in carta investiturae, et promissione ficti continetur. Et si reperiretur aliquem de dicta parte ecclesiae debere praestare furmentum sine extimatione seu pretio ipsius furmendi, non possit exigi pro ficto dicti anni proxime preteriti nisi ad rationem quatuor soldorum imperialium pro quolibet sextario, non obstante quod terminus dicti anni sit elapsus. Et quod etiam non possit exigi duplum dicti ficti pro anno praedicto praeterito, et hoc locum habeat in illis qui fuerunt banniti, confinati carcerati et absentati occasione partis ecclesiae et in patribus et filiis et fratribus eorum tantum. Salvo eo quod praedicti habere debentes dicta ficta non possint exigere ab illis qui steterunt, stant et stabant ad mandata communis Cremonae, postquam pars Capellatorum nuper intravit Cremonam, nisi solum ad rationem octo soldorum imperialium pro quolibet sextario, et aliis non, qui non stant vel stabant ad mandata communis priventur instrumento contra eos facto.

50.

Quod non destruatur nulla domus sed incantetur.

Item cum civitas Cremonae deformetur et devastetur propter domos, quae continue in civitate et suburbiis Cremonae devastantur et destruuntur, de quibus nulla utilitas pervenit in commune Cremonae, quod ab hodie in antea modo aliquo seu causa aliqua domus in civitate et suburbiis Cremonae non possit destrui nec devastari propter aliquam causam, sed.....

51.

.....absentatos a dicto tempore citra in aliquem de parte Capellatorum non valeant, postquam inter contrahentes et eorum haeredes. Et quod commune Cremonae non acquirat aliquod ius in dictis venditionibus, donationibus, cessionibus et alienationibus factis per aliquem Capelletum in aliquo Truncazuffo a dicto tempore cifra.

52.

De officio iudicis bandezatorum.

Item quod iudex, qui deputatus fuerit per dominium potestatem ad officium honorum bandezatorum, teneatur et debeat ordinare certum terminum, prout ei videbitur, infra quem teneantur et debeant omnes et singuli dicentes se habere ius in dictis bonis comparere coram ipso iudice cum omnibus eorum iuribus. Et ultra dictum terminum aliquis non audiatur ullo modo in aliquo suo iure. Et iudex teneatur et debeat breviter et summatim cognoscere et terminare, probare et reprobare iura predicta quae coram ipso producta fuerint, reducendo in scriptis omnia quae probaverint valere, et pro quanta quantitate, et in praedictis dictus iudex possit procedere per coniecturas et indicia et praesumptiones ad suam liberam voluntatem, et quod quicquid fecerit in praedictis et circa praedicta sit firmum et nullo modo possit infringi, cassari vel irritari, nec possit a suis processibus appellari, nec suae sententiae nullae dici, et locum habeat in contractibus factis ante calendas ianuarii annis currentibus M. CCC. X.

53.

Rubrica quod libri reformationum et aliorum actorum ponantur in armariis.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod omnes libri reformationum generalium et quorumlibet sapientum, et omnes alii libri actorum et scripturarum factorum et factarum et quae in futurum fient ad bancum domini potestatis et iudicis maleficiorum, et ad banchum cuiuslibet iudicis et officialis tam iustitiae coblarum et cepi quam cuiuslibet alterius iudicis et officialis communis et populi Cremonae, deponantur et deponi debeant in armariis communis et populi Cremonae, ad hoc ut de ipsis possit copia haberi. Qui libri debeant custodiri per bonam et idoneam honestam personam eligendam ad arbitrium consilii generalis, quae persona teneatur et debeat facere copiam de praedictis actis et scripturis cuicumque petenti. Et quod praedicta omnia et singula domini potestas et eius iudices teneantur et debeant executioni mandare vinculo sacramenti.

54.

Rubrica de restitutione possessionis occupatae.

Item eodem millesimo indictione, et mense statutum est, quod cum a tempore quo pars Capellatorum Cremonae nuper intravit civitatem Cremonae et ab inde retro, multae violentiae occupationes et invasiones factae fuerint per magnos et potentes homines et etiam per multos alios, quod quidem est contra honorem et bonum statum civitatis Cremonae et partis ecclesie de Cremona, quod omnes

et singuli cuiuscumque conditionis existentes, qui a tempore dicti introitus et ab inde retro occupasset seu invasisset vel intrasset, sua authoritate, aliquas terras, domos, vineas, molendina, prata, buscos et quascunque alias possessiones alicuius existentis ad mandata communis Cremonae rerum mobilium et immobilium existentium penes ipsos invasores vel derobatores, et ipsas retineant et recusent restituere et relaxare illis quorum erant seu qui ipsas possidebant, quod potestas et eius iudices, seu quilibet ipsorum qui primo fuerit requisitus, teneantur vinculo sacramenti breviter et summatim et sine datione alicuius libelli petitionis, denuntiae seu accusationis compellere infra tertium diem ipsos occupatores et invasores et haeredes eorum et habentes causam ab occupatoribus ad restituendum et relaxandum libere ipsas terras, possessiones, domos, vineas, molendina, prata, buscos et quascumque alias res invasas et occupatas ipsis quorum erant seu ipsis qui possidebant et heredibus eorum et successoribus et habentibus causam ab eis. Et quod ipso iure intelligatur esse in possessione ipsarum rerum sic occupatarum praedicti quorum erant dictae res occupatae et eorum heredes et successores. Et quod si praedicti occupatores et invasores recusarent infra terminum suprascriptum restituere et relaxare praedictas res sic occupatas et invasas, condemnentur in ducentum libris imperialium, et nihilominus per direptionem personae et aliis iuribus compellantur ad restitutionem praedictam per dominum potestatem et eius iudices. Et hoc non obstantibus aliquibus provisionibus seu reformationibus hinc retro factis, quae huic statuto in aliquo obviarent. Et quod per praedictum ingressum seu invasionem, nullum intelligatur esse acquisitum ius ipsis occupatoribus nec habentibus causam ab ipsis.

55.

Rubrica quod qui accusaverint de falso aliquem teneantur deponere centum soldos imperialium.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod si aliquis voluerit accusare aliquem de falso instrumento, quod non audiatur, nisi prius deposuerit centum soldos imperialium, et in tantum debeat condemnari si non probaverit dictum instrumentum esse falsum.

56.

Rubrica quod banna de malleficio cursa usque ad tempus eventus Capelatorum sint cassa.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod potestas et capitaneus consules et anciani populi et quelibet singularis persona et quelibet universitas collegium et corpus civitatis et districtus Cremonae debeant curare et operam cum effectu dare, quod commune, populus et pars ecclesiae de Cremona stent et perpetuo maneant in statu, honore et firmitate in quibus nunc sunt et in maiori, meliori et fortiori, cum auxilio Dei onnipotentis, contra partem, sequaces et fautores quodam Bosii de Dovaria et sequaces et fautores ipsius partis praesentes et futuros, et contra omnes inimicos communis et populi et partis ecclesiae de Cremona. Et quod nulla persona, universitas, collegium nec corpus audeat vel praesumat, dicto vel facto, aliquo modo vel ingenio, publice vel privatim, dicere, facere nec tractare aliquid contra praedicta vel in favorem praedictorum vel alicuius eorum, nec consilio aut tractatui contra praedicta interesse. Et qui contra praedicta vel aliquod praedictorum vel in fraudem vel diminutionem eorum, publice vel privatim, dicto vel facto modo aliquo vel ingenio, ausus fuerit vel praesumpserit aliquid facere vel tractare vel dicere aut consilio vel tractatui interesse, si capi poterit, illico moriatur, et bona eius devastentur et publicentur et ipso iure deveniant in commune, et uxor et filii eius perpetuo banniantur et expellantur de civitate et districtu Cremonae, si fuerit singularis persona, et si capi non posset, perpetuo banniatur ipse et uxor et filii eius et bona eius publicentur ut supra. Si vero fuerit castrum vel villa vel locus, funditus destruatur et omnes habitantes in ipso loco tam masculi quam feminae perpetuo banniantur et expellantur de civitate et districtu Cremonae, et bona eorum omnia publicentur et ipso iure deveniant in commune. Si vero fuerit universitas, collegium seu corpus solvat communi Cremonae pro banno mille libras imperialium et perpetuo non sit collegium nec corpus nec universitas nec paraticum. Et omnes de ipsis universitatibus collegio vel corporibus qui consilio vel tractatui interfuerint ultimo supplicio moriantur, bona eorum omnia publicentur et ipso iure deveniant in commune. Si vero potestas vel capitaneus, consules vel anziani populi vel aliquis eorum eos qui contra praedicta vel aliquid praedictorum vel in fraudem vel diminutionem eorum dixerint, fecerint vel consenserint vel tractantes aut facientes contra praedicta non punierint, ut dictum est, potestas et capitaneus ipso iure sint privati potestaria et capitaneatu, et perdatur totum salarium suum et omnes res quas haberet in civitate et districtu Cremonae. Et potestas de praedictis possit et teneatur facere vindictam et penas imponere et omnia suprascripta executioni mandare absque collegio praedicto Cremonae et absque condemnationibus et absque aliquo consilio contra familiam suam habendo et sine aliqua admonitione inde danda, infra tres dies postquam inquisiverit et cognoverit de praedictis. Et si potestas esset absens vel presens et infra tertiam diem praedicta executioni mandare differret, ex tunc possit et debeat capitaneus populi praedicta omnia et singula modo praedicto executioni mandare. Et hoc capitulum sit truncum et praecisum. Et de hoc non possit peti nec dari parabola, et data non valeat.

57.

Rubrica quod omnes qui se absentaverint metu partis possint redire.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod omnes et singuli qui metu partis se absentassent a civitate et episcopatu Cremonae,

dum tamen non sint bandezati nec confinati, possint venire ad standum vel habitandum in civitate Cremonae, et dum tamen non steterint in aliquibus terris seu castris communi Cremonae rebellibus, et venientes sint et esse intelligantur ad mandata communis Cremonae.

58.

Rubrica quod aliquis non possit destruere domum suam nisi causa meliorandi eam.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod aliquis non possit nec debeat destruere aliquam domun suam in qua ius habeat, nisi eam destruxerit vel destrui fecerit causa meliorandi vel reficiendi, de quo melioramento seu refectione fieri debeat bona et idonea securitas infra tempus a iudice statuendum. Et qui contrafecerit condemnetur in quinquaginta libris imperialium et plus et minus, prout domino potestati videbitur. Et quod consules viciniarum teneantur praedicta notificare domino potestati infra sequentem diem ex quo ipsa domus incepta fuerit destrui, super qua denuntiatione teneantur dominus potestas et eius iudices procedere, pena consulibus non denuntiantibus decem librarum imperialium imminente.

59.

De lamentatione, banno et tenuta. Collatio tertia statutorum communis et iustitiae in causis civilibus.

In primis MCCCXII indictione decima statutum est, quod lamentationes fiant ad officium iustitiae si ordinarie procedatur, more solito, in quibus sit et comprendatur nomen debitoris et creditoris et quantitas sive res quae petitur et causa certa, et quod super ipsis detur bannum simplex illis de civitate et suburbiis ad tertium diem utilem et illis de episcopatu ad sex dies utiles. Quae banna et alia banna simplicia et duplicia, quae dabuntur de cetero coram aliquo iudice vel officiali, non possint scribi in actis ea die qua denuntiantur. Et quod perentoria quae dantur haeredibus mortuorum dentur ad sex dies utiles et non scribantur in actis penes lamentationem, sed quod inde fiat publicum instrumentum per quoscumque notarios Cremonae, quae perentoria cridentur per currerios in scalis palatii et super arengerio plateae maioris et ante domos mortuorum, in quibus habitabant tempore vitae eorum, et relatio perentorii scribatur in actis penes lamentationem et nomen notarii qui fecit cartam perentorii. Et quod ipsis lamentationibus respondeatur simpliciter, confitendo vel negando, nulla exceptione admissa, etiam absente parte, et aliter non valeat responsio. Et si modo praedicto responsum non fuerit, lamentatio, bannum et peremptorium super ipsis data habeatur pro cursis, et tenuta dari possit de banno contumaciis, quae tenuta scribi debeat per notarium officii penes lamentationem et nomen notarii qui fecit. Et non audiatur nec recipiatur responsio illius contra quem data fuerit tenuta, et recepta non valeat, nisi prius restituerit expensas dictae tenutae et occasione eius factas, quae expensae taxentur per iudicem vel officialem, sub quo data erit. Et quod ille cui data fuerit dicta tenuta lucretur fructus rei, de qua data fuerit dicta tenuta. Et quod, ea data, non possit fieri expeditio eiusdem in civitate et suburbiis post tertium diem et in episcopatu seu districtu post quinque dies continuos ex quo dicta tenuta data fuerit, de qua tenuta solvi debeant tres denarii consulibus et notariis officii, etiam si tenuta data fuerit contra plures. Qui denarii dati causa bannorum datorum ad officium coblarum et iustitiae sint consulum et notariorum dicti officii pro cartis emendis et feudis consulum. Et quod notarii ceppi habeant banna data ad officium ceppi pro cartis. — Item statutum est quod banna, lamentationes et perentoria et omnes processus qui fient occasione praedictorum contra cives Cremonae, qui morantur extra districtum Cremonae cum familiis eorum vel qui sunt absentes extra districtum Cremonae, possint et debeant cridari in scalis palatii et in platea maiori super arengerio et ante domos seu casamenta in quibus habitare consueverant, in civitate vel burgis. Et si domos vel casamenta non haberent, dari vel cridari debeant tantum in scalis palatii et in platea maiori super arengerio, ac probent et valeant ac si data et denuntiata essent eis vel domibus vel familiis eorum. Et praedicta locum habeant etiam in personis forensium. Et modo et forma dari possit perentorium haeredibus praedictorum defunctorum. Et praedicta locum habeant in praesentibus praeteritis et futuris.

60.

De eodem.

Item eodem millesimo indictione et mense statutum est, quod tenuta et expeditio tenutae possit fieri et accipi quolibet die, dum tamen commissio de praedictis die iuridica facta fuerit. Et quod peremptorium quod datur haeredi defuncti super lamentationibus possit denuntiari quolibet die, dum tamen nuncius factus fuerit die iuridica, quod peremptorium incipiat currere a die relationis ipsius scriptae in actis. Et super quolibet banno civili possit dari tenuta quae scribatur penes bannum, ut supra dictum est. Et etiam possit expediri modo praedicto et fieri datio in solutum. Et quod creditor, postquam accepit tenutam de re debitoris, non possit vendere vel alienare in praeiudicium debitoris. Et si [alie]naverit, refectis expensis et facta responsione lamentationi, ipsa tenuta revocetur et recuperetur penes quemcumque pervenerit, non obstante ipsa alienatione. Et e contra reus conventus de quo facta fuerit lamentatio de aliqua re non possit ipsam rem alienare postquam lamentatio factam fuerit, et alienatio facta non valeat. Et intelligatur dictus conventus, quae possidebat tempore lamentationis, in futurum possidere usque ad tempus sententiae latae de praedictis. Et contra eum possit fieri executio sententiae latae per iudicem ac si possideret, set etiam contra possessorem.

171. — 1314 (1313 *inc.*) *febr.* 8, *XII, Cremonae super palatio veteri.*

Congregato consilio Capeletorum legitur atque adprobatur petitio Aloysii de Cavalcabobus, pro se et fratribus, heredibus Guilielmi, a quo commune 600 libras imp. acceperat (V. a. 1310, sept. 29), ut licitum sit Cavalcabobus conducere salem et alias mercatandias Cremonam et ad partes superiores solvendo pedagia et gabellas, quae debeant pervenire in Cavalcaboves, pro solutione capitalis et interesse, detracta parte contingenti thesaurario regis.

† In nomine Dei amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo decimotertio, indictione duodecima, die veneris octavo mensis februarii, in palacio communis Cremone, presentibus Franzeschino de Millio, Albertino de Algarixiis et Iacomino de Barziis, testibus ibi vocatis et rogatis.

Nobiles viri domini Philipus de Albenea iudex et vicarius domini Bertholini de la Turre vicarius communis, Guido de Porenzonibus capitaneus populi pro illustre rege Roberto Ierusalem et Secilie et domino Cremone, de voluntate dominorum consulum et anzianorum populi civitatis Cremone, imposuerunt Giliolo de la Costa correrio presenti et intelligenti ut vadat ex eorum parte ad citandum requirendum et precipiendum discreto viro domino Nicolino de Bonisbechariis executori iusticiae, ut personaliter venire debeat ad palacium et supra palacium vetus communis Cremone et interesse infrascripta seu infrascriptis prepostis, quas facere intendunt in infrascripto conscilio occasionibus infrascriptis, et reformationibus que subsequentur exinde; alioquin dicte preposte fierent et super ipsis exhiberetur et daretur consilium et reformaretur pro ut consilio placuerit, ipsius absentia non obstante.

Die veneris suprascripto retulit suprascriptus Giliolus correrius et dixit se ex parte dictorum dominorum Rectorum citase, requisivise et precipisse suprascripto domino Nicolino personaliter in omnibus et per omnia ut superius continetur et scriptum est.

Eodem millesimo, indictione, die, super palacio veteri communis Cremone, presentibus testibus suprascriptis ibi rogatis et vocatis. Cum dominus Aloysius de Cavalcabobus porrexerit quamdam peticionem pro se et fratribus suis coram dominis vicario, capitaneo, executore, consulibus et anzianis Cremone infrascripti tenoris, et convocatis per dominum executorem prioribus collegiorum iudicum notariorum universitatis mercatandie, et facto partito inter ipsos ad busolas et balotas quorum omnes fuerunt in concordia, duabus balotis exceptis, ut dicta peticio sit et ponatur ad consilium partis.

Ideo congregato consilio partis Capelatorum Cremone super palacio veteri communis Cremone, per sonum campane et voce preconum more solito, in quo consilio erant dominus Guido de Porenzonibus capitaneus, consules et anziani populi et de eorum voluntate, et non erat dominus executor, sed tamen fuit legitime citatus ut superius constat de dicta citatione et certioratus quod infrascripta peticio volebat et debebat poni ad dictum consilium; et in dicto consilio erant centum quadraginta octo credenderii, dominus Phylipus de Albenea iudex, assesor et vicarius dicti domini Bertholini vicarii pro regia maiestate civitatis Cremone de voluntate predictorum dominorum capitanei, consulum et anzianorum et de voluntate dicti executoris proposuit et consilium peciit sibi dari super dicta petitione seu scriptura lecta in presenti consilio consulere debeatis. Cuius peticionis tenor talis est:

A vobis dominis Bertholino de la Turre vicario çivitatis Cremone pro regia maiestate, Guidono Porenzono capitaneo pro eadem regia maiestate, Nicholino de Bonisbechariis executore iusticie, consulibus et anzianis communis et populi Cremone et quibuslibet aliis personis a quibus debet de iure suplicat et requirit dominus Aloysius de Cavalcabobus, filius et heres quondam domini Guilielmi de Cavalcabobus, pro se et fratribus similiter filiis et heredibus dicti quondam domini Guilielmi, dicens quod cum tempore potestacie civitatis Cremone nobilis militis domini Benvenuti de Thodinis et capitanei domini Raynerii de Aregolioxiis, pro eximendo terram Guastalle a manibus inimicorum et tunc rebellium communis Cremone mutuaverit communi et populo Cremone sexcentum libras imperial. in pecunia numerata, certis pactis et condictionibus in instrumento dicti sui crediti comprehensis, scripto manu Aliotini de Barzis notarii et tunc dictatoris communis Cremone, et generaliter sibi omnia bona, redditus et proventus communis et populi Cremone pro predictis attendendis fuerint obligata et obligate, et specialiter omnes redditus et proventus molendinorum communis et populi Cremone, ut in dicto contractu plenius continetur, et de dicto contractu nil unquam sortis nil unquam vel doni sibi promissi perceperit, et dicta molendina redditus et proventus eorum teneantur et possideantur per dominum Berxanum iudicem et procuratorem domini nostri regis, et etiam quedam alia similiter teneantur et possideantur que sibi specialiter obligata, sic quod aliquid non potest percipere nec habere, quatenus vobis placeat pro amore partis et pro amore filiorum et heredum dicti condam domini Guilielmi, et pro vigore iusticie cuilibet manutenende, ut taliter ordinetis cum effectu ut dictus dominus Aloysius et fratres, per se vel per suos amicos, possint facere conduci tantum salem ad civitatem Cremone et a dicta civitate Cremone versus partes superiores, et alias mercatandias, solvendo communi et gabele Cremone tantum quantum ordinatum est per commune et sapientes Cremone, et quod deveniat et devenire debeat in massarios gabele magne Cremone et in tesaurarium domini regis pro parte contingenti camere domini regis usque ad dictam quantitatem quam et quantam dictarum mercatandiarum et dicti salis, et quod detracta parte contingenti dicte camere usque ad dictam quantitatem quam et quantam dictus dominus Aloysius et fratres debeant recipere pro

suprascripto debito sortis et usurarum, facta diligenti racione per massarios gabele qui sunt et pro temporibus erunt, secundum formam dicti contractus. Et quod massarii gabele qui sunt et pro temporibus erunt teneantur et debeant vinculo sacramenti pro dictis pedagiis et gabelis que pervenient in ipsos de dicto sale et mercatandiis, quem salem predicti de Cavalcabobus conducent et conduci facient per se vel per eorum amicos, solvere et integraliter satisfacere dictis domino Aloysio et fratribus usque ad competentem solutionem dicti debiti, sortis et doni secundum formam dicti contractus sine inquietatione aliquorum rectorum vel officialium communis Cremone. Et quod de dictis pedagiis et gabella que pervenient in dictos massarios modo predicto non possint alibi nec aliter expendi. Et quod presentes massarii vel futuri, prius facta diligenti ratione eius quod recipere debent dicti fratres de Cavalcabobus de eo quod recipient modo predicto, teneantur in totum vel in partem solvere dictis dominis Aloysio et fratribus, faciendo fieri confessiones dictis dominis Aloisio et fratribus de eo quod semper recipient. Et hoc non obstantibus aliquibus statutis, provisionibus et reformationibus factis vel fiendis in contrarium loquentibus, salvo semper quod hec non preiudicent solutioni presentium vicarii et capitanei suprascriptorum. Ad que surrexit dominus Ottolinus de Casamala et consuluit quod dicta peticio seu scriptura sit firma in omnibus pro ut iacet, et quod in ea procedatur pro ut in ea scriptum est, aliquibus provisionibus reformationibus et statutis in contrarium loquentibus non obstantibus. Et quod rectores presentes et qui pro temporibus erunt vinculo sacramenti predicta fieri facere teneantur et exequi. Et quod massarii presentes et futuri predicta similiter facere teneantur vinculo sacramenti. Unde facto partito per suprascriptum dominum Phylipum cum busolis infaldratis et ballotis, lectis prius nominibus et vocatis credenderiis ad stazaz, illi qui voluerunt dictam petitionem esse firmam et dictum dicti domini Ottolini ponentes manus suas in ambabus bussolis, ille ballote que fuerunt in bussola vermilia approbante dictam peticionem et dictum dicti domini Ottolini fuerunt centum quadraginta sex, ille vero ballote que fuerunt reperte in bussola glauca que reprobabat dictam petitionem et dictum dicti domini Ottolini fuerunt numero due.

† Ego Henrighinus de Caresinis, notarius sacri palacii et tunc dictator communis Cremone, hiis omnibus et singulis suprascriptis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

172. — 1314, *ma.* 7, *XI, Mantuae. AG.*

Testamentum Nicholini de Dovaria, filii q. Gandioni de Dovaria, et patris Annae, quo filiam suam heredem instituit.

173. — 1314, *aug.* 24, *XII, Cremonae. D,* 99.

Guido de Porenzonibus capitaneus Cremonae pro rege Roberto (a 18 nov. 1313 usque ad 18 mad. 1314) confitetur accepisse pro parte salarii sui et soldatorum suorum a massario gabellae 933 libras et soldos *2* imper.

174. — 1314, *id. id. D,* 100.

Praedictus Guido confitetur accepisse a massario gabellae 260 libras imper. ex illis 340 libris quas habere debebat pro salario vicariatus sui Cremonae a *22* mad. usque ad 12 iul.

175. — 1314, *aug.* 30, *XII, Cremonae. D,* 98.

Fratres et heredes Guilielmi Cavalcabovis confitentur recepisse a massariis gabellae 189 libras et 8 soldos et 8 denarios imper. de illis 480 libris quas recipere debent pro interesse 600 librarum, quas mutuaverunt communi, usque ad diem 29 sept. proximi (V. a. 1314, febr. 8).

176. — 1314, *dec.* 31, *XIII, Parmae. D,* 97.

Gibertus de Coria (*Corigia*), Parmae pro rege Roberto capitaneus et mercatorum potestas, constituit Bencivegnam quondam Nacii de Florentia procuratorem suum, ad recipiendum a comm. Cremonae totam pecuniam quam habere debet.

177. — 1315, *apr.* 18, *XIII, Cremonae. ASM.*

Abbatissa et sorores S. Abrami, quae in monasterio S. Salvatoris Cremonae habitabant belli causa, eligunt unam petiam terrae, quam tenebat Andriolus de Vericlio, a cuius iure cceiderat propter cessationem ficti.

178. — 1315, *oct.* 7, *XIV, Cremonae. D,* 102.

Conradinus de Confanoneriis, vicarius Cremonae, confitetur recepisse a massario gabellae et d. Regis 1000 libras imper. et a massario gabellae et communis 200 libras imp. pro feudo et salario suo.

179. — 1315, *dec.* 2, *XIV, Cremonae. D,* 102.

Lancellotus de Nazellis confitetur recepisse a massariis gabellae illas 1200 libras imp. quas dedit mutuo communi 1315 apr. 30.

180. — 1315, *dec.* 10, *XIV, Cremonae. D*, 103.

Orlandinus de Papia, conestabilis peditum, confitetur accepisse a massario gabellae libras 15 et 12 denarios pro se et 24 sociis, qui steterunt ad custodiam castri Platenae.

181. — 1315, *dec.* 12, *XIV, Cremonae. D*, 104.

Carta finium communi et gabellae Cremonae de 800 libris imp. facta per Conradinum de S. Michaele capitaneum, pro salario suo a 12 iun. usque ad 12 decembris 1315.

182. — 1316 (1315 *inc.*), *ian.* 7, *XIV, Cremonae. D*, 105.

Fines factae communi Cremonae per Maninum de Persico, Nicolinum de la Fossa, et Vincenzium de Zanaytis de 22 libris, quas expendiderunt in festo celebrando S. Bartholomei, et de dacio panis unius denarii de quolibet sextario per unum mensem eis obligato causa praedicta.

183. — 1316 (1315 *inc.*), *ian.* 21, *XIV, Cremonae. D*, 106.

Carta finis factae per Marchesinum Marescalchum in massario communis de 50 libris imper. occasione qua cum armis et equo captus fuit ab inimicis et rebellibus communis.

184. — 1316 (1315 *inc.*), *febr.* 11, *XIV, Cremonae. D*, 107. Sommi-Picenardi, *La famiglia Sommi, pag.* 28.

Carta finis factae Nicolino de Doxino, Egidiolo de Ansoldis, gabellatoribus Gabellae magnae, et fratri Iobo, thesaurario regis Roberti, stipulantibus nomine communis, gabellae et curiae regiae, per Guillielmum de Mozanega, procuratorem Gregorii de Summo (ut in carta procurae, 1314, oct. 7, XIII), de 98 libris, 12 soldis et 3 denariis imper., quae Gregorius comuni mutuaverat et consilium generale reformaverat restitui debere de proventibus salis, ut in quodam libro reformationum consilii continebatur, in reformatione diei 13 oct. 1313, XII.

185. — 1316 (1315 *inc.*), *marc.* 2, *XIV, Cremonae. D*, 108.

Tigna filius nobilis viri D. Rangonzini de Forlimpopulo, conestabilis stipendiariorum equitum communis Cremonae et egregii viri D. Iacobi de Cavalcabobus, confitetur recepisse 524 libras imp. circiter pro soldo suo et sociorum a die 20 dec. 1315 usque ad diem quartum marcii 1316.

186. — 1316, (1315 *inc.*), *mart.* 3, *XIV, Cremonae. D*, 109.

Landus filius nobilis viri Conradi de Londricis, conestabilis equitum comm. Cremonae et d. Iacobi de Cavalcabobus confitetur recepisse 529 libras imp. pro soldo a die 14 dec. 1315 usque ad 4 mart. 1316.

187. — 1316, *id. id. D*, 110.

Carta finis factae de 525 libris circiter per Simonellum de Arzillis, conestabilem equitum a 24 dec. usque ad 4 marc. communis et Iacobi de Cavalcabobus.

188. — 1316, *id. id. D*, 111.

Carta finis factae per Armaninum de Bravis stipendiarium equitum Cremonae de 20 libris, pro equo qui ei mortuus fuit nuperrime in introitu facto per D. Iacobum Cavalcabovem in civitate Brixiae et miliciam Cremonae.

189. — 1316, *id. id. D*, 112.

Carta finis factae per Egidiolum Aghinolfum stipendiarium Cremonae de banderia Simonelli de Arzillis, de 50 libris pro uno equo ei mortuo occasione praedicta.

190. — 1316, *id. id. D*, 113.

Carta finis factae per Marandum de Regio stipendiarium equitum Cremonae de 15 libris pro equo ei mortuo occasione praedicta.

191. — 1316, *iun.* 21, *XIV, Cremonae. D*, 114.

Lodorengus de Martinengo, olim vicarius Cremonae, confitetur recepisse a

communi et gabella 407 libras circiter pro parte stipendii sui, cum restent solvendae sibi 792 librae circiter.

192. — 1316, *aug.* 10, *XIV*, *Cremonae. D*, 115.

Fines factae communi per Mafeum de Summo et socios dacierios daciorum vini panis platearum farinae blavarum et macinaturae de 3217 libris circiter.

193. — 1316, *aug.* 18, *XIV*, *Cremonae. D*, 116.

Fines factae communi et gabellae per monasterium S. Mariae de la Cava de 50 libris imp. occasione cuiusdam quaestionis molendini S. Crucis in aqua navilii.

194. — 1316, *id. id. D*, 117.

Fines factae per Nigrezolum de Ansoldis de 1 libra et 13 sold. et 4 den. occasione praedicta.

195. — 1317, *apr.* 12, *XV*, *Cremonae. D*, 118.

Ghirardus de Bozolinis, olim potestas Cremonae, confitetur esse per comune integraliter satisfactum pro se et soldatis suis de toto tempore quod stetit ad regimen potestaciae.

196. — 1317, *apr.* 13, *XV. D*, 119.

Finis, forma praedicta, facta per Andriotum de Marano olim capitaneum populi Cremonae.

197. — 1317, *apr.* 14, *XV*, *Cremonae. ASA.*

Emptio facta ab ecclesia S. Agathae « de quadam pecia terre ortie iacente post ortales domorum tentorie iusta ortum et in orto dicte ecclesie ».

198. — 1317, *I. D*, 56.

Nota investiturae de duabus peciis terrae, in vic. S. Creati, iuxta unam portam et aliam Mosiae, facta a gabella Cremonae, ad fictum annuum reddendum.

199. — 1318, *mad.* 2, *I*, *Cremonae, in gen. cons. comm. super palatio veteri.*

Potestas Mulus de Cropello, consules, antiani et credenderii constituunt sindicum ad faciendum venditionem Raimondino de la Turre et sociis de introitu baratiarum civitatis et burgorum.

200. — 1318, *mad.* 3, *I*, *Cremonae.*

Instrumentum venditionis de praedicto introitu pro 56 libris imp.

201. — 1318, *oct.* 2, *Cremonae in cons. gen. comm. super palatio veteri.*

Potestas Mulus de Cropello et consilium constituunt sindicum ad faciendum datum de novo de barataria praedicto Raimondino pro 50 florenis auri quos praestavit communi occasione dandi Ponzino de Ponzonibus et Mafeo de Summo et aliis ambaxatoribus, ituris de praesenti ad Mediolanum.

202. — 1318, *oct.* 3, *I*, *Cremonae.*

Instrumentum venditionis de praedictis.

203. — 1318, *nov.* 20, *II*, *Cremonae, in vic. Omnium sanctorum.*

Inventarium f. ab Oprandino Faciolo, filio q. Albertini de Nigris, cui dicebatur de mediis panis, patris quoque Orlandini et Guazini, de bonis patris sui, in praesentia complurium testium.

Oltre una casa, terre ecc. trova: 2 lectos assidis, 2 culcidras duorum pensium penarum pro qualibet, 4 linteamina lini, 2 prepontas, 1 scrignazum ligni, 1 scrineum, 2 alios scrineos, unam ptusriam? 1 scagnadellum rami parvum, 1 lavezolum grandexolum, 1 alium lavezolum parvum, unam archeram? 1 vegetem ruperis 28 sextariorum, 1 vezolum 6 sextariorum, 1 alium vezolum 8 sextariorum, 1 alium vezolum 4 sextariorum, 1 padellam rami, 1 seclam, 1 cazam ferri, 1 securim, 2 zapas, 1 solium, 1 vezolum unius sextarii ad tenendum azetum, etc.

204. — 1318, *dec.* 3, *II*, *Cremonae. D*, 120.

Franzeschinus de Ghinamis de Parma, tunc iudex super bonis bandezatorum Cremonae et super introitu communis et gabellae, confitetur se esse integraliter satisfactum de salario suo.

205. — 1318, *dec.* 11, *II, Mediolani. Ap.*

Litterae Mathei Vicecomitis vicarii imperialis d. 2 dec. ad Ponzinum de Ponzonibus, conservatorem iusticiae populi, consules, sapientes, consilium et comune Cremonae, ut solvant debitum Mafiolo de Cazago fratri et heredi Gechi, quondam conestabilis ad servitium Cremonae, praesentantur dec. 7 potestati Cremonae: quod nuncius communis Mediolani refert (1).

206. — 1319, *ian.* 15, *II, Mediolani in porta Vercellensi in parochia S. Michaelis ad Gallum ad tabulam d. Beltrami de Ponzo. Ap.*

Praedictus Mafiolus de Cazago denuntiat Venturino de Morigia abbati societatis negotiatorum Mediolani processus omnes iam a fratre suo et a se factos contra Cremonenses et dicit quod super praedictis provideant id quod credunt expediat.

207. — 1319, *febr.* 19, *II, Mediolani iuxta tabulam de Morigiis sitam penes S. Michaelem ad Gallum. Ap.*

Praedictus Mafiolus denuntiat iterum Venturino Morigiae, abbati negotiatorum quod deposuit iura instrumenta acta et processus contra commune Cremonae apud notarium, occasione faciendi copiam ipsi Venturino et cui competunt de iure.

208. — 1319, *aug.* 4, *II, d. Avinioni. Dal* Sanclemente, *Ser. Episc. Crem.* 287.

Litterae Egidii electi cremonensis, quibus fratrem Thomam de ordine S. Abundii Humiliatorum Cremonae deputat in massarium laborerii seu fabricae ecclesiae maioris.

209. — 1319, *sept.* 9, *III. Dal* Galantino. *St. di Soncino III,* 92.

Epistola potestatis anzianorum sapientum consilii et comm. Sonzini ad Iohannem, comitem de Foresio et dominum Sonzini, qua rogant ut in suum auxilium contra inimicos in castro Rumenenghi commorantes, veniat.

210. — 1319, *oct.* 6, *II, a. Cremonae, Iohannis XXII, a.* 4. *Dal* Bonafossa, *Monumenta cremonensis Ecclesiae, I,* 118, *A V.* Arisi,. *Crem. lit. I,* 153. Sanclemente, *Ser. Ep. Cr., p.* 286.

Epistola Egidii episcopi ad abbatissam et moniales monasterii de Cistello, qua incorporat et iungit ipsis monasterium S. Bernardi, iuxta civitatem, quo moniales tute et honeste habitare non possunt propter lugubrem et horrendum statum civitatis.

211. — 1319. *Dal* Minotto, *Acta et Diplomata e R. Tabulario Veneto, III,* 69.

Istud est quod solvitur pro mercandariis, que advehuntur per Padum.

(1) Checo di Cazago, conestabile milanese, cominciò a percepire la paga per sè e la sua compagnia, o bandiera, di 25 cavalli, dal 10 maggio 1311, dal giorno stesso cioè in cui Enrico VII pubblicò l'editto di proscrizione contro Cremona, quantunque sia effettivamente entrato in servizio più tardi, come talora pattuivasi; infatti la sua petizione a Riccardo dei Tizzoni è posteriore al 18 maggio, perchè solo da questo giorno Riccardo rimase in Cremona come vicario imperiale, essendone uscito Enrico VII per l'assedio di Brescia. Dal primo di agosto al 16 settembre servì con 20 cavalli d'armi e altrettanti cavalieri e 13 ronzini. Dalla nota (n.º 145) dove vengono descritti risulta che insieme con lui e sotto di lui militavano Baroncino, Maffeo, Gidino, Simonino, Gherardino, tutti di Cazago. Dal 16 settembre, non essendo più vicario il Tizzoni, fino al primo ottobre, ebbe 10 cavalli e cavalieri. Dal primo ottobre in poi (1312, 7 gennaio), 6 cavalieri. Fino a questo punto non aveva ottenuto che 34 lire imp. L'ordine del vicario imperiale, del 5 agosto, 1311, di pagargli 216 lire, non ebbe effetto, ma si sborsarono solo 16 lire imp. a un suo creditore. Il potestà di Milano, patria di Checo, invitò una prima volta il comune di Cremona a soddisfarlo del suo avere, ma non ebbe risposta; lo invitò una seconda volta con lettera del 10 novembre 1311, ma pure inutilmente. Questa lettera fu presentata dallo stesso Checo al Comune il 14 novembre, protestando di volere essere indennizzato di ogni danno, mentre rimaneva ancora al soldo con alcuni compagni in attesa di essere pagato. Il 7 gennaio 1312 diresse una nuova supplica al vicario Goffredo ed a otto Sapienti del comune; ma non con miglior esito delle altre. Onde il 16 febbraio, in Milano, dove erasi ritirato, annunziava ai due abati della Società dei Mercanti che era ancora creditore verso il Comune di Cremona di 600 lire imperiali e di 200 fiorini d'oro per danni, che già richiedeva il 14 novembre 1311, pregandoli di voler provvedere al decoro della Società e all'interesse suo. Non sappiamo se la Società siasi occupata per farlo pagare; certo egli non riuscì nel suo intento. Frattanto il 12 gennaio 1312 Guglielmo Cavalcabò, coi Guelfi, era entrato in Cremona, e la città fu in mano di questa fazione per più anni; in questo tempo non si pensò in niun modo a saldare il debito del Cazago, conestabile dei Ghibellini. Ma quando nell'aprile del 1318 Ponzino Ponzone e i Ghibellini rientrarono in Cremona, cacciandone il Cavalcabò, e Ponzino andò a Milano per accordarsi con Matteo Visconti, allora parve opportuno all'erede di Checo, cioè al fratello Mafiolo, di trovar modo onde venisse soddisfatto. Quindi la surriferita lettera di Matteo Visconti al potestà cremonese. Ma nemmeno la sua parola venne ascoltata, perchè dai documenti che seguono del 1319, gennaio 15 e febbraio 19 appare come Mafiolo di Cazago sia di nuovo ricorso alla Società dei Mercanti di Milano. La questione cogli eredi di Checo fu solo definita nel 1342, gennaio 16, come appare da documenti conservati nell'archivio del Comune di Cremona.

Primo in Seravale per Commune Mantue de modio salis XII grossos venetos. — Mantue pro Comuni pro soma cuiuscunque mercadantie II venetos grossos. — In Burgoforti pro Comuni de modio salis XII parvos, et pro episcopo Mantue per mercatores Venetiarum de quolibet nave ponderata mercadandie sive magna sive parva XIII soldos et parvum: et pro eodem episcopo per Lombardum secundum quod est hactenus consuetum — in Doxolo pro Domino Mantue de modio salis XII venetos grossos et de soma cuiuslibet mercadandie III venetos grossos — In Guastala pro D. Giberto de modio salis XVI venetos grossos, de sauma piperis XV soldos ymperialium, de sauma bombicis merçarie X soldos imper., de sauma robe grosse VI soldos imper. — In Vitaliana pro Cavalcabobus pro tansa de modio salis XII venetos grossos, de soma mercadantie III venetos grossos — In Berselo pro Comuni Parme de modio salis XII venetos grossos, de soma mercadantie V solidos ymper. — In Casale maiori pro Comuni parum de datio sive minimum datium solvitur — In Plebe (cioè Pieve Ottoville) pro D. Gregorio de Summo de modio salis XII grossos et de soma mercatandie III grossos — Cremone pro Comuni de modio salis XXX venetos grossos, de sauma mercatandie VII solidos et VI imper. — In Castronovo de bocca Adde pro Cavalcabobus de modio salis XXVIII venetos grossos et de sauma mercatandie VII solidos et VI imper. — In Placentia pro D. Galeaço de modio salis solidos IV grossos et de sauma mercatandie XXX solidos imper., de soma aliquarum solum XXIV, et de soma aliquarum solum XX et plus et minus secundum qualitatem mercimoniarum — Pavie pro Comuni de modio salis plus quam IV solidos grossos.

212. — 1320, *ian.* 13 *et* 14, *III, Sonzini in publica concione. Dal* Galantino, *Op. cit. III,* 95.

Procurator Iohannis comitis Forensis et domini Sonzini, potestatem praesentat hominibus de Sunzino, responsum comitis epistolae a. 1319, sept. 9, legi facit, et claves castri recipit.

213. — 1320, *ma.* 4, *III, Regii. Dal* Taccoli, *Mem. stor. di Reggio, I,* 271.

Consilium centum sive credentiae Regii, praesentibus capitaneo et defensoribns populi et potestate, statuit, inter caetera, ut Albertino de Canossa, civi regino, represealeae concedantur, iuxta petitionem eius, contra cives et districtuales Cremonae.

Praedictus Albertinus exposuerat quod anno 1317 electus fuerat in potestatem Cremonae, pro sex mensibus incoatis die kalendas maii tunc sequenti, et sibi promissum fuit salarium 1200 librarum Cremonae, et 365 librarum imper. Cremonae pro 25 berovariis, ad rationem 50 soldorum imper. pro quolibet mense et quolibet ipsorum. Quum vero regimen intravisset cum tota familia et equis, post dies 27 vel circa, propter novitates et mutationes Cremonae factas, civitate abire coactus fuit, nec aliquid de suo salario recipere potuerat usque ad praesentem diem. — Quare represaleas, usque ad satisfactionem salarii, petiit.

214. — 1320, *aug.* 2, *III. AG.*

Annae, filiae q. Nicolini de Dovaria, ab Antonio de Rosetis, iudice et iurisperito Mantuae, consule ad bancum S. Iacobi, datur Petrinus q. Oliverii de Bonacolsis, procurator.

215. — 1322 (1321 *inc.*), *ian.* 6, *V, Cremonae, in ecclesia maiori. CM.*

Capitulum ecclesiae cremonensis, abbates S. Thomae et S. Laurentii Cremonae, quibus collatio decimarum in dioecesi cremonensi demandata fuerat, quas extra ordinem concilium viennense in Francia in sui ipsius subsidium imperaverat, absolvit accusatione quod non solvissent 685 libras et 19 soldos imperiales.
Davidinus de Restaliis notarius.

216. — 1322, *iun.* 9, *XV, Mantuae, in civitate veteri, in palacio Guidonis et Filippini et Beltrani ? de Gonzaga, in contrata Scaionorum ? S. Alexandri. AG, ap. cartaceo.*

Instrumentum dotis D. Anae de Dovaria, uxoris magnifici D. Filippini, filii magnifici D. Loysii de Gonzaga, die 9 iunii 1322.
Sequitur enumeratio bonorum.
Marchexinus f. D. Bertholini de Bondinellis notarius, a. 1367, V. (1).

(1) Nell'Archivio Gonzaga esiste pure un fascicolo cartaceo, scritto nel secolo XIV, contenente la nota dei beni di Bosio e di Gandione di Dovaria, nel Cremonese, e ora di Filippino Gonzaga, signore di Mantova, descritti « in quaternis imbreviaturarum Oliverii q. Ferarie de Salarolis » e in certo libro di divisione fra Lisia, figlia di Bosio, Guglielmo f. d'Antonio f. di Bosio, da una parte, e Raffaele di Ronco, sindico del Comune di Cremona (1269, dec. 2).

217. — 1322, *sept.* 14, *V, Cremonae.*

Iohannes de....., iudex et assessor D. Guidoti de Armenzanis potestatis Cremonae pro magnifico D. D. Galeaz domino civitatis Cremonae, super restitutiones deputatus, sententiam fert in lite inter Bonesolum f. q. Mazuchelli de Bergoyonibus, nomine quoque Bergoyoni de Bergoyonibus f. q. Abracii de Bergoyonibus, ex una parte, et procuratorem Franceschini Casamala f. q. Coradini ex altera, cum dictus Bonesolus peteret restitutionem, ex forma capitulorum pacis et statutorum comm. Cremonae, perticarum 11 et tabularum 18 terrae iacentium extra portam S. Simonis sive S. Crucis prope foveam sive circam com. Cremonae.

218. — 1322, *sept.* 23, *V, Cremonae.* — Böhmer, *Op. cit.* 719, 799.

Rodulfus de Heiben miles et Iohannes de Ture dominus Castilionis in Valixio, nuncii Frederici regis in Lombardia, ex litteris dat. Scaffusae iun. 18 quae referuntur, promittunt comm. Cremonae quod rex confirmabit omnia privilegia et gratias concessas a superioribus imperatoribus.

219. — 1323, *mar.* 19, *apr.* 5, 7, 19, *ma.* 9. *Dal* Frati, *La contesa fra Matteo Visconti e Papa Giovanni XXII, secondo i doc. dell'arch. Vaticano. Arch. stor. Lomb.* 30 *giugno*, 1888, 241 *e seg*, (1).

Mar. 19. Citatio ante inquisitores civium cremonensium et condamnatio eorum, tamquam contumacium.

Id. id. doc. n. 100.

Apr. 5, *doc. n.* 113. Citatio fratris Guillielmi Gaudentis de Ponzonibus et multorum de Cremona, de Soncino, de Castroleone, Castronovo, etc.

Apr. 7, *doc.* 114 *e* 115. Condamnantur, tamquam contumaces, et excommunicantur.

Ma. 9, *doc.* 116. Sententia fautoriae et confiscationis contra praedictos.

Apr. 5 *et* 19, *dec.* 117 *e* 118. Sententia contra alios cives cremonenses.

220. — 1323, *mad.* 26, *VI, in Casalimaiori. AG.*

Vicarius potestatis Casalismaioris et tocius comitatus pro Raynaldo et Butirono de Bonacolsis, vicariis imperii, creat nuncium ad ponendum Antoniolum de Dovaria in tenutam cuiusdam peciae terrae in Sabloneta (2), quae fuit Bosii de Dovaria.

Mad. 28. Tenuta datur.

221. — 1323, *mad.* 27, *VI, Cremonae. Dalle Memorie di* G. G. Torresino, *ms. BG, n.* 1093.

Nicolinus Brexanus, vic. S. Helenae, confitetur accepisse a priore Domus Vallis viridis in burgis Cremonae, 3 florenos boni auri et 16 soldos et 1 denarium, pro solutione unius pedis (?) equi, impositi domui per comune Cremonae seu per Boracium capitaneum guerrae in civitate Cremonae pro D. Galeaz domino generali civitatis de praesenti mense madii.

222. — 1323, *dec.* 9, *VII, Cremonae.*

Investitura de petia terrae casatae facta, nomine ecclesiae maioris, per Maxenerium de Ponzonibus archipresbyterum, ad fictum annuum reddendum, in Zovaninum de Canevariis.

223. — 1324, *apr.* 2, *a.* 8, *Avinionis. ASM.*

Iohannes XXII confirmat electionem, a monacis factam, Girardi, in abbatem monasterii S. Thomae, ordinis S. Benedicti et ad romanam ecclesiam pertinentis, cum Guillielmus q. de Burlenghis olim abbas destitutus fuisset a Barnaba de Vercellis et Honesto de Sancta Mustiola, fratribus praedicatoribus et inquisitoribus, quia Mattheo de Vicecomitibus dum vixit et

(1) Si dà notizia di documenti, conservati a Bologna, che riguardano i Cremonesi in questa contesa.

(2) In carta 1322, 28 iun. V, Sablonetae, AG, nominansi: Percivallus de Bezis, potestas Sablonetae, Zaninus de Tayaferris, consul Sablonetae.

filio eius Galeatio, quamvis de haeretica pravitate dampnatis, assistere praesumpserat.

224. — 1324, *aug.* 24, *VII*, *Soncini. Dal* Galantino, *Op. cit. III*, 102.

Consules anziani et consilium Soncini procuratorem constituunt ad comparendum coram legato apostolico in Lombardia et ad supplicandum, nomine etiam comitis Iohannis de Foresio domini Sonzini, ut interdictum relaxet et tollat.

225. — 1324.

Sepulcrum nobilis viri domini Frederici de Arcidiaconis qui decessit MCCCXXIIII de mense setembris (1).

226. — 1325 (1324 *inc.*), *febr.* 6, *VIII*, *in palacio Casalismaioris. AG.*

Bonzoannis de Baruchis, potestas Casalismaioris, constituit nuntium ad dandam tenutam Annae, filiae Nicolini de Dovaria, de una pecia terrae in mezano Batalee, sive de Sancto Herico (prope Padum).

Nuntius praecepta exequitur in nuntium Annae.

Perfilaxio de Guienzonibus not.

Febr. 20. Aliud simile praeceptum pro alia pecia terrae in eodem mediano Batalea.

227. — 1325 (1324 *inc.*), *febr.* 14, *VIII*, *in palacio Casalismaioris. AG.*

Bonzo[annes de Baruchis], potestas Casalismaioris et totius comitatus, creat nuncium ad tenutam dandam Annae q. Nicolini de Dovaria, et uxori Filippini de Gonzaga, de mezano Batalea, sive de Sancto Herico — Nuncius haec exequitur.

228. — 1325 (1324 *inc.*), *mar.* 16, *VIII*, *in loco Fossaecaprariae. AG.*

Nuncius Bonjohannis de Baruchis, potestatis Casalismaioris et tocius comitatus per Raynaldinum de Bonacolsis, vicarium imperialem Mantuae, ponit in tenutam procuratorem Annae, filiae et haeredis q. Nicolini de Dovaria, de omnibus terris, honoribus, domibus, glareis, augumentis Padi quondam Nicolini.

Eodem die, nuncius ponit in tenutam procuratorem Annae de bonis in curia Sablonetae, in terratorio Villaenovae, in curia Casalismaioris, in teratorio Gamboloni, Riparoli de intus.

Die 18 mar., in terratorio Pomponeschi.

229. — 1325 (1324 *inc.*), *mar.* 17, *VIII*, *in territorio Vitalianae et Portioli. AG.*

Nuncius et correrius Petri de Abbatibus, potestatis Vitelianae et Portiolli per D. Cavalcaboves, nobiles et potentes marchiones Vitalianae, et dominos generales dictae terrae et tocius curiae Vitalianae et Portiolli — in praesentia Iohannis de Rivalta factoris D. Loysii de Ghonzagha,.., Bertolomei de Suzara, gastaldi Loysii de Cavalcabobus, marchionis Vitalianae — ponit in tenutam procuratorem Annae, f. et heredis Nicolini f. et heredis q. Gandyoni de Dovaria, de peciis terrarum possesionum domorum boscorum pascuorum et honorum fluminis Paudi et augumenti dicti Paudi, tam de glareis quam de pisceriis, et de sua parte sibi contingente pro sedicesima parte augumenti et honoras Paudi fluminis et quateriorum (!) glarearum illorum de Dovaria, in territorio Vitalianae et Portioli — Sequitur enumeratio peciarum.

230. — 1325 (1324 *inc.*), *mar.* 19, *VIII*, *in Ponponisco. AG.*

Correrius et nuncius Bonjohannis de Baruchis, potestatis terrae Casalismaioris et tocius comitatus per magnificum DD. Raynaldum de Bonacolsis, sacri imperii vicarium Mantuae et Mutinae et dominum generalem, ponit in tenutam Ysachinum de Moris, procuratorem Annae f. et heredis Nicolini f. et heredis Gandyoni de Dovaria, de peciis terrarum, domorum, boschorum, pascuorum, honorum et flumine Paudi et augumento Paudi, tam de glareis quam de pischeriis, etc. in Pomponisco et territorio, quae in documento enumerantur.

(1) Questa lapide sta nel Museo Ponzone. Porta scolpito lo stemma degli Arcidiaconi, due gigli incrociati. Era già in S. Domenico. Cfr. Inscriptiones Cremonenses universae, n. 830.

231. — 1325 (1324 *inc.*), *mar.* 19, *VIII*, « *in loco Pomponischi sub porticu domus platee que est circa? porte castri eclexie de Ponponisco.* » *AG.*

Singhibaldus, Yrighinus fratres filii q. Ughozoni de Ponponischo, Devadanus et Paganus f. q. Patuzii de Ponponisco, Trucardus? f. q. Maxinerii de Ponponisco, Soldanus f. q. Brunelli de Ponponisco, Iohannes f. q. Fulchini de Ponponisco, atque Pyntus q. D. Archipresbiteris de Ponponisco, omnes de Ponponisco — visa remissione et tenuta eodem mense accepta de bonis, iuribus, possessionibus, terris, honoribus ac de domibus de flumine Paudi et de acugumento (!) dicti Paudi, per Isachinum de Moris procuratorem nob. D. Annae, filiae et heredis q. Nicolini, filii et heredis q. Gandyoni de Dovaria — praesentibus testibus, et Iohanne de Rivalta factore D. Loysii de Gonzaghis, protestantur coram dicto procuratore se tenere in futurum omnia praedicta bona per praesentes dominos, de quibus bonis erat iam contentio, nondum sopita, inter praedictos dominos de Ponponisco et dominos de Dovaria, et quod erant Annae tamquam heredis patris sui, et quod nullum ius habebant in dictis rebus Gandyoni, sicuti possidebat tempore quo expulsus fuit de civitate Cremonae pro parte Boxii de Dovaria; salvo quod praedicta tenuta accepta non praeiudicet iuribus illorum de Pomponisco in rebus de quibus in ipsa siletur.

Alberto de Tedaldis not.

232. — 1325, *oct.* 12, *IX*, *d. Venetiis.* Ficker, *Forschungen ecc. II*, 517.

Iohannes Suprancius, dux Venetiarum, concedit nobilibus viris Marco Donato et Amistade Trivisano et Marco Marino et sociis pignorationem in bonis communis Cremonae et Cremonensium, ad satisfactionem de quibusdam ballis pannorum mediolanensium et francigenorum eis derobatis in loco Bozoli seu Ierundae per homines Cremonae.

233. — 1325, *oct.* 25, *Veronae.*

Sententia contra Cremonenses in 318 libr. imp. et expensis, concedendo represalias, solvendis Clerico de Montanis de Canedo diocoesis Brixiae pro sale, duabus navibus aliisque rebus ei ablatis per Bocazium comitem de Gangalando, capitaneum guerrae Cremonensium, Uginum de Amatis et alios robatores in territorio Ustiani, episcopatus Brixiae, lata a Bonaventura de Praelis capitaneo partis imperii Brixiae extrinsecae pro Canegrande de la Scala.

234. — 1326, *iul.* 1, *IX*, *Veronae super sala domus novae communis.*

Ugolinus de Sesso, potestas Veronae, imponit notario quod scribat supra libro ambaxatorum quod Canis grandis de la Scala vicarius ei miserat ambaxatam ut concedat Clerico de Montanis de Canedo represalias contra comm. et homines Cremonae pro 318 libris imp. et concedit dictas represalias.

235. — 1326, *aug.* 23, *IX*, *d. Veronae.*

Canis grandis de la Scala, imp. auctoritate vicarius Veronae et Vicentiae, nunciat capitaneis vicariis officialibus suis ac consulibus quod concessit licentiam Clerico de Canedo habenti represalias contra Cremonenses, capiendi eos et bona eorum et detinendi ad suam voluntatem.

236. — 1326, *oct.* 8, *IX*, *in palacio Veronae.*

Quainus de Sfondratis et Guilielmus qui dicitur Zapelinus, qui praesentati fuerunt ad carceres Veronae ex parte potestatis ad peticionem praedicti Clerici, relaxantur iussu potestatis et dicti Clerici.

237. — 1326, *sept.* 10, *IX*, *Cremonae in domibus potestatis. D*, 122.

Simonotus de Scafesiis, potestas Cremonae, confitetur massario comm. et gab. se esse integre satisfactum de salario suo.

238. — 1327, *iul.* 2, *X*, *Mediolani. Dall'*Affò, *Storia di Parma, IV*, 365.

Ludovicus imperator Manfredino filio Ubertini Pelavicini et heredibus eius, omnia privilegia a praedecessoribus suis concessa, et specialiter a Friderico II et Conrado (a. 1249, 1250 et 1253), confirmat.

239. — 1327, *iul.* 19, *X, Cremonae in cantono Ariberti. D,* 123.

Simonotus de Scafissis, olim potestas Cremonae, confitetur esse integraliter satisfactum pro se et soldatis suis de toto tempore quod stetit ad regimen civitatis.

240. — 1327, *aug.* 20, *d. in Sonzino. Ap.* Böhmer, *op. cit.* 802. Galantino, *op. cit. III,* 45.

Ludovicus rex confirmat privilegia castri Sunzini et plebatus Calsi et decernit quod castrum et plebatus cum universis habitantibus pertinent imediate imperio et nulli alteri comuni universitati vel singulari personae.

241. — 1327, *nov.* 17, *XI, Cremonae. D,* 124.

Fines factae massario gabellae per Lombardinum de Aimengardis de 200 libris imp. de introitu dacii 4 sold. imper. pro quolibet plaustro vini et uvarum conducto Cremonam de mense septembris praeteriti, de medietate cuius habuerat datum a communi.

242. — 1328, *mart. XI, Regii. Dal* Taccoli, *Mem. Stor. di Reggio, I,* 289.

Defensores populi Regii (tempore Passarini de la Turre rectoris Regii pro Romana ecclesia, vacante imperio) et nonnulli sapientes statuunt salarium ambaxatoribus ituris Cremonam.

243. — 1328, *iun.* 19, *XI, Cremonae, super coro S. Mariae ecclesiae maioris.*

Inventarium bonorum Bovexini de Canellis factum a Zambonino fratre et herede dicti Bovexini, cum beneficio inventarii.

Fra altri beni: « item medietatem unius pecie terre aratorie, que consuevit esse vidata, in duabus peciis, in clausis Cremone, ad S. Gorgonum, cu coheret, ete. quas possidebat dictus Bovexinus tempore D. Francissi de Clavisana, olim vicarii in civitate Cremone pro D. Henrico q. imperatore, et quas dictus Bovexinus tenuit usque ad tempus quo expulsus fuit pro facto Capeletorum de Cremona, qui venerunt a Casali maiore et intraverunt per vim in civitate Cremone, et secundum quod ipse D. Bovexinus in earum possessione restitutus fuit capitullo pacis, seu ius petendi ipsam medietatem pro indivisso ».

244. — 1328, *oct.* 9, *XII, Cremonae. Dall'Archivio Storico Siciliano, IV,* 1878.

Frater Tomasinus, praelatus Domus Humiliatorum S. Guillielmi Cremonae, et frater Martinus, praelatus Domus Humiliatorum S. Catherinae, consensu omnium fratrum S. Guillielmi, et omnium fratrum et sororum S. Catherinae, praesentia quoque fratris Tomae Domus S. Abundii, vicarii generalis fratris Benedicti, magistri generalis totius ordinis, statuunt unionem duarum Domorum S. Guillielmi et S. Catherinae, ita ut secunda primae subiaceat.

245. — 1328, *nov.* 22, *XII, Cremonae. Dall'Archivio Storico Siciliano, IV,* 1878.

Frater Tomasinus eligitur nuncius et sindicus duarum Domorum, ad recipiendam a Magistro generali Ordinis confirmationem actus unionis duorum Conventuum.

246. — 1328, *dic.* 17, *XII. Dall'Archivio Storico Siciliano, IV,* 1878.

Frater Benedictus, magister generalis totius ordinis Humiliatorum, cum Domus Humiliatorum S. Catherinae Cremonae pene dissipata et ad nihilum reducta sit propter pericula et damna bellorum, confirmat et adprobat unionem duarum Domorum S. Guilielmi et S. Catherinae.

247. — 1329 (1328 *inc.*), *ian.* 19, *XII, Cremonae. ASM.*

Notarius testatur legisse, praesentia aliquot testium et notariorum, in libro lamentationum, appellationum, excommunicationum, sententiarum etc. officii iustitiae clericorum Cremonae, quamdam sententiam a. 1324, 1325, causa lamentationis apud praepositum S. Ægidii, Homobonum iurisperitum pro clericis et laycis et Oldofredum Piperarium, propter quam massarius consorcii fratris Zanini de Delmona condamnabatur ad restitutionem cuiusdam peciae terrae.

248. — 1329, *ian.* 26, *XII, d. Pisis.* Böhmer, *op. cit.* 804.

Litterae Ludovici imperatoris ad Ponzinum de Ponzonibus, militem cremonen-

sem, quibus devotionem et fidelitatem eius laudat et hortatur ut civitatem praeservet sub imperii nomine et auctoritate, etiam partecipando et consulendo de iis cum Iohanne legato et Azone de Vicecomitibus mediolanensi vicario.

249. — 1329, *id. id.* Böhmer, *op. cit.*, 803.

Litterae Ludovici imperatoris ad Boccatium de Gangalandis vicarium, sapientes et commune Cremonae, quibus monet et hortatur ut praedictos legatum et vicarium subsidio requirant quotiens opus fuerit, quum eis commisisset ut Cremonam omni studio et favore defendant et auxilientur.

250. — 1329, *febr.* 8, *XII, in astensi civitate.*

Hugolino de Scovalochis de Cremona dantur litterae comunis Ianuae, quibus nuntiatur ei electio sua in consulem placitorum per unum annum; et dictus Hugolinus electionem acceptat (1).

† In nomine Domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo vigessimo nono, indictione XII[a], die VIII[o] mensis februarii. In presencia dominorum Sachini de Brignolis, Petri Zamollini de Parma iurisperitorum, Georgii Rapacii notarii de Ast testium rogatorum, et actum in civitate astensi in domo Machalussorum, in qua moratur et habitat dominus vicarius regius civitatis predicte. Noverint universi presens instrumentum publicum inspecturi, quod Peronus de Ast, nuncius comunis et hominum Ianue et pro ipso comuni et hominibus, presentavit domino Hugolino de Scovalochis de Cremona, iuris utriusque perito, litteras infrascriptas continencie infrascripte sigillatas vero sigillo comunis et hominum civitatis Ianue, quod sigillum erat in cera viridi, in quo erant sclupta hec animalia scilicet unus griffonus qui habet in pedibus unam aquilam et desubtus aquilam unam vulpem. Et eidem domino Hugolino pro dicto comuni Ianue denunciavit electionem infrascriptam, prout et sicut inferius continetur in serie litterarum.

Nobilitatis et sapiencie multe viro domino Hugolino de Scovalochis de Laturre de Cremona, Mannus de Oppicis de Lucha capitaneus et vicarius regius in civitate Ianue et districtu, Albertus de sancto Matheo abbas populi et conscilium XII sapientum constitutorum super negociis Ianue, salutem et sincere dilecionis officium. Certi nostri sapientes habentes super hec plenam potestatem, vigore unius capituli specialis, de circumspecione, legalitate et probitate vestra plenius informati, vos in consulem et pro consule nostro placitorum, ad salarium et cum salario librarum centum quinquaginta ianuensium in quadam nostra compera librarum nonaginta milium vobis assignatarum, secundum formam cuiusdam capituli super hec loquentis, et cum honere domicellorum duorum sive servientum quos vobiscum ducere et tenere debetis, pro anno uno incipiendo in kalendis februarii proximi venturi concorditer elegerunt. Quare nobilitatem vestram requirimus et rogamus, quatenus, vissis presentibus, dicti consulatus officium in Christi nomine acceptantes ad civitatem Ianue pro ipso exercendo accedere placeat et vellitis, ita quod die secunda dicti mensis scitis in civitate iamdicta; alioquin non intelligatur ius vobis aliquod acquisitum esse dicte electionis in officio memorato; et de acceptatione vel renunciatione ipsius officii latori presencium, die qua presentes vobis litteras exibebit, dare per vestras litteras vestram placidam responsivam. Data Ianue die XI[a] ianuarii.

Dictus dominus Hugolinus de Scovalochis, consul Ianue electus predictus ut supra, vissa presentatione supra facta per dominum nuncium dictarum litterarum continencium electionem factam de ipso domino Hugolino de officio consulatus Ianue et vissa denunciatione facta per dictum nuncium dicte electionis ex parte dicti comunis et hominum Ianue et vissis dictis litteris sigillatis vero sigillo comunis Ianue continentibus electionem predictam, volens dictis comuni et hominibus Ianue in hec et in aliis liberaliter complacere et effectui demandare transmissa; eodem millesimo, mense, die et hora, et presentibus testibus predictis et in dicto loco, Christi nomine invocato, dictam electionem officii consolatus dicte civitatis Ianue de se factam acceptavit et acceptat animo iocundanti, volens interesse laboribus dicti officii et pro utilitatibus dictorum Ianuensium, cum salario memorato per tempora suprascripta.

Et ego Bertollinus Ferarius de Ast, imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis interfui una cum suprascriptis testibus et rogatus scripsi et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum in testimonio premissorum.

(1) La famiglia Scovalochi era originaria di Rivarolo dentro. Il Lancetti, Biografia Cremonese, 1819, p. 222, parla di Ugolino, e dichiaratamente di un doc. del 1348 che lo riguarda, dal quale appare che era in quest'anno rettore di Mattarello, contea dell'Ossola, a nome di Guglielmo Amidani cremonese, vescovo di Novara. Nelle « Inscriptiones Cremonenses universae, » pag. 77, si dice che questo giurisperito fu prefetto ad Asti, poi pretore a Genova. La notizia appare desunta da questo doc. del 1329. Al. n. 1228 delle stesse « Inscriptiones » si riporta dal Codice Picenardiano, p. 152, una epigrafe, che si dice esistesse già nell'Ospedale di S. Lazzaro, il quale sarebbe stato fondato da Ugolino nel 1336. Ma questa epigrafe lascia dubbi sulla sua autenticità, e può essere una invenzione del Bressiani.

251. — 1329, *iun.* 21, *XII, d. Papiae.* Böhmer, *op. cit.*, 804.

Ludovicus imperator concedit comm. Cremonae in privilegium omne ius et iurisdictionem in flumine Olei et in rivis ab utraque parte, ut aquam possint derivare etiam per alienum districtum, et in castris seu locis Wastallae et Luzariae, non obstantibus aliquibus legibus vel concessionibus existentibus.

252. — 1329, *id. id.* Böhmer, *op. cit.*, 498.

Privilegium eiusdem imperatoris Cremonensibus concessum, quod usque ad quinquennium immunes sint ab omnibus muneribus et oneribus personalibus et realibus, praedialibus atque mixtis, et vicarii imperiales Cremonam missi non plus sex mensium in regimine permaneant.

253. — 1329, *id. id.* Böhmer, *op. cit.*, 806.

Ludovicus imperator confirmat omnia privilegia, iura et concessiones factas Cremonensibus a predecessoribus suis, ab Henrico V et Frederico I, non obstantibus privilegiis et sententiis factis per predecessorem suum Henricum VII et se ipsum, concedendo eis pacificum possessum totius episcopatus et districtus sicut a 30 annis citra possiderunt.

254. — 1329, *iun.* 24, *d. Papiae. Ap.* Winkelmann, *Acta imper. inedit. II*, 316.

Litterae Ludovici imperatoris ad nobilem virum Lodoysium de Gonzaga, cui iniungit et mandat quatinus castra Platinae et Casalis maioris et alias terras ab eo occupatas et ab antiquo Cremonensibus pertinentes iisdem restituat.

255. — 1329, *sept.* 2, *Cremonae. A V.*

Dondinus episcopus Cremonae locat unam casam in vicinia S. Mariae in Betlem.

256. — 1329, *oct.* 12, *XIII, Cremonae.*

Venditio de una petia terrae casatae, quae appellatur palatiolum novum communis in vicinia maiori Piscariae, et de statione quae est prope palatiolum, salvo iure communis et gabellae et officii blavae Cremonae, facta a Graciolo de Casso, Leonardo de Zubianis, cum consensu Canzolinae uxoris venditoris, pretio 28 libr. et 15 sold. imp. (V. 1309, iul. 19 et 26).

257. — 1329, *nov.* 11, *XIII, d. apud Pomponescum. Dal* Böhmer, *op. cit.*, 507.

Privilegium Lodovici IV quo Loysio de Gonzaga, suo et imperii civitatis Mantuae et districtus vicario generali, et filiis eius concedit in solidum custodiam locorum Razoli et Luzariae, nec non eius partis districtus Cremonae, quam in praesenti possident, excepto castro Casalis maioris.

258. — 1329, *nov.* 19, *XIII, Cremonae in palatio veteri in gen. cons. comm.*

Guido de Camilla, vicarius imperialis, et consilium constituunt sindicum ad paciscendum et conveniendum cum personis Pergami qui habent represalias concessas a comm. Pergami contra homines Cremonae.

259. — 1329, *nov.* 21, *XIII, Cremonae.* Ficker, *op. cit.*, 524.

Compositio inter praedictum sindicum vicarium et gabellatores Cremonae ex una parte et Pergamenses ex altera qui represalias habebant.

260. — 1329, *nov.* 25, *XIII, Cremonae in palatio veteri.*

Sedicim sapientes, praesidentes negociis communis, congregati a vicario imperiali, provident et ordinant super petitione porrecta a Iohannino de Sfondratis et Guillelmo Zapella, qui Veronae occasione represaliae Clerico de Morariis de Canedo concessae, expoliati sunt suis mercatandiis (V. 1325, oct. 25, 1326, iul. 1, aug. 23, oct. 8).

261. — 1329, *nov.* 27, *Cremonae.*

Gabellarii, in praesentia massarii, statuunt summam quam praedicti mercatores debent adhuc recipere a communi.

262. — 1329, *nov.* 28, *Cremonae.*

Consilium centum congregatum a iudice vicarii, statuit quod petitio supradicta firma sit et mercatores compensentur de damnis passis.

263. — 1330, *ian.* 15, *XIII. AG.*

Nuncius Guizardini, potestatis Boxolli, per Loysium de Gonzaga, imp. gratia vicarium Mantuanum tocius comitatus cremonensis, ponit in tenutam procuratorem Annae Dovariae, filiae Nicolini, de consensu Filipini de Gonzaga viri eius, de compluribus bonis, quae fuerunt Bosii de Dovaria, occasione multorum debitorum et legatorum solutorum a Nicolino patre, pro quibus debitis dicta bona erant dominae obligata; scilicet in locis quadrum Rochae Bosii de Dovaria, quadrum Costae, quadrum Curterotae, Insula Dovarensium et in flumen Oley, in Solarolo ubi dicitur quadrum D. Bosii, in S. Iohanne in Cruce, in loco ubi dicitur castrum D. Bosii, in Casalimaiori, in loco ubi dicitur Palvaretus, in Comessagio, in Sabloneta, in loco Sacha cum uno castro, in Corregio viridi et in Riparolo intus.

264. — 1330 (1329 *inc.*), *mart.* 15, *XIII, super palatio veteri Cremonae. Dal* Campo, *op. cit.* 68.

Tregua usque ad sex annos facta inter Guidonem de Camilla vicarium imperatoris pro communi Cremonae et D. Gregorium de Summo.

265. — 1330, *apr.* 27, *d. in Monaco. Dal* Böhmer, *op. cit.* 203.

Epistola Ludovici imperatoris Aloysio Gonzagae, suo et imperii civitatis Mantuae vicario, cui nunciat in brevi Lombardiam se venturum, et tunc de facto vicariatus Cremonae, ab eo petiti, una cum eo deliberabit.

266. — 1330, *dec.* 22, *XIV, in loco plebis S. Mauricii.*

Investitura facta per Iacobum de Ponzonibus, archipresbyterum eiusdem plebis, ad fictum anuuatim reddendum per 5 annos, de una petia terrae in pertinentiis S. Petri in Mendicate, ubi dicitur pratum seratum episcopatus Cremonae, in Iohannem de Guaytascuciis.

267. — 1331, *febr.* 7, *XIV, Cremonae. Dal* Winkelmann, *Acta imperii ined., II,* 799.

Iohannes, Bohemiae rex, et Brixiae Cremonae et Pergami dominus, Iohannem natum Petri de Landulfis papiensem, iudicem suum, constituit sindicum et moderatorem suorum officialium Brixiae, Cremonae et Pergami, cum auctoritate potestate et salario quae describuntur.

268. — 1331, *febr.* 26, *d. Cremonae. S,* 55. Böhmer, *op. cit.* 722.

Rescriptum Iohannis Boemiae et Poloniae regis et Cremonae domini, quo officialibus suis nec non communibus et hominibus civitatis et districtus mandat, quatinus omnes iurisdictiones et bona ecclesiae et episcopo cremonensi spectantia illico restitui faciant et castra et terrae Iovisaltae et Platinae eidem episcopo libere dimittantur (Autentic. iussu Hugolini episcopi Cremonae, 1331, marc. 14, XIV).

269. — 1331, (1330 *inc.*) *marc.* 6, *XIV, in castro Platinae. S,* 54. Böhmer, *op. cit.* 722.

Lappus de S. Ieminiano vicarius castri Platinae pro D. Rege mittit in tenutam et corporalem possessionem castri Franceschinum Petacium de Parma, procuratorem episcopi Cremonae, praeterquam de turri et rocha; qui procurator eidem vicario hoc castrum custodiendum committit.

270. — 1331, *marc.* 17, *XIII, apud Chambeonem in Lugdunensi diocesi. Dal* Galantino, *op. cit. III,* 111.

Instrumentum quo D. Iohannes, comes Forensis et dominus generalis Sonzini, constituit in hoc castro vicarium generalem Hugonem de Talaru.

271. — 1331, *apr.* 10, *XIV, d. Parmae. Dal* Böhmer, *op. cit.* 723.

Epistola Iohannis regis ad Franciscum Dandulum, Venetiarum ducem, qua nun-

ciat se nuper habuisse castrum Guastallae et facere custodire, quapropter tutum undique patet iter per aquam Padi.

272. — 1331, *apr.* 10, *XIV, in ecclesia castri S. Baxiani. Archivio Notarile di Cremona.*

Potestas et consiliarii dicti castri, in pleno et generali consilio comunis hominum et universitatis, confitentur, ad postulationem Roberti Tavani vice Gerardi abbatis monasterii S. Thomae Cremonae, recepisse quatuor modia et quatuor sextaria inter milium et siliginem pro medietate in solutum alius siliginis et milii, quod monasterium S. Petri de Pado dare tenetur annuatim comuni S. Baxiani pro decima illarum terrarum quas habet in territorio castri.

273. — 1331, *apr.* 21, *XIV, Cremonae.*

Uxor D. Frederici de Casalorcio renunciat omni suo iuri dotis super quadam pecia terrae de qua fecerat venditionem, ut in instrumento subscripto a secundo notario, secundum formam statutorum Cremonae. (Subscriptum a secundo notario secundum formam statutorum Cremonae).

274. — 1331, *apr.* 30, *mad.* 31, *iun.* 30.

Praecepta facta regio thesaurario, ex parte Baldi de Balestris vicarii Cremonae pro regia maiestate Boemiae, ut fiat solutio Francisco comiti de Gangalando conestabili unius bandae equitum ad stipendium regis propter Cremonae custodiam, pro se et sociis suis de mensibus aprilis, madii et iunii.

275. — 1331, *iun.* 8, *XIV, in palacio communis Cremonae. AG.*

Guillelmus de Millio notarius testatur legisse, praesentia testium et notariorum, in quodam libro bannorum simplorum et duplorum, praeceptorum, peticionum, interrogationum, positionum, etc. ad officium iustitiae Portae Ariberti, tempore vicariatus nobilis et potentis militis D. Baldi de Belastis, vicarii tunc Cremonae pro regia magestate, et D. Petri de Frendulfis eius iudicis ad dictum officium deputati et consulatus Andriolli de Alfiano et Guilielmi de Guiscardis, consulum iusticiae dictae potestatis, litteras sequentes.

« Iohannes Dey gratia Boemie et Polonie rex, Luciborgensis comes, Brixie et Cremone dux, nobilibus et prudentibus viris, vicario, iudicibus suis civitatis nostre Cremone, nostris sincere dillectis, salutem et affectum benevolum. » Scribit, Annam de Dovaria, uxorem Filipini de Gonzaga fidelis sui, exposuisse sibi, quod in causa, pro quibusdam domibus Cremonae, quam habet cum Boxio nato nobillis viri Federici marchionis de Vayrano (1) et cum

(1) Nello stesso Archivio Gonzaga, conservasi un testamento dell'a. 1333, Parma, di Manfredino « cui dicitur Marexottus f. q. nobilis Rolandini de Varano, marchionis Pellavicini ».

I marchesi di Varano fanno capo a un Dalfino, figlio dell'Oberto Pelavicino che viveva in principio del secolo XII. Ricordo qui un documento notevolissimo, che fa cenno dei Varano, intorno ai quali non abbondano le notizie. È un lunghissimo inventario dei beni del fu marchese Donino Pelavicino, del 1349, su tre pergamene già incollate insieme, ma ora disgiunte.

1349, mad. 20, II, Cremonae — Praesentibus Manfredino de Stanghis notario, Henrigheto de Pelavicenis, Alegrino da Alegris, Ugnabelino de Ceraxiis, Iohanne de Massariis et Franceschino de Alegris, testibus.

D. nobilis Iacobina filia q. D. Ranizae de Ruschonibus, et mater et tutrix Iohannis et Federici pupillorum, data tutrix a Gregorio de Mangeriis de Papia, iudice Iohannis de Mandello, potestatis Cremonae, in portis Ariberti et Natalis ad iura reddenda, praesentia Antonii de Cantelfis de Parma, pro tribunali sedentis, successoris praedicti Gregorii, nec non Gulielmi de Stanghis et Bonesoli de Avogadris, hominum bonae famae et condicionis, qui testantur marchionem, uxorem et filios, cognovisse et cognoscere, has res declarat haereditatis esse.

Castrum Ravarani, in distictu Parmae, in montibus, in valle Baganziae, cum curia tota, terris, iuribus, vasallis, omnibus iurisdictionibus et decimis, tam de Ravarano quam de domo Salvaticorum de Casula, de castro et vila dicti castri: cui curiae et territorio cohaeret territorium Terencii, Fugazoli, Vuatichae? · Vasallos Calestani terretorii Fugazoli et Castelegi, in valle Baganziae. Peciae terrae in curia Montis Palerii, in territorio Cereтuli, S. Vitalis de Baganzia; aliae, in valle Baganziae, in territorio Parollae, Carezeti, in curte Redoldei; pecia terrae in qua est castrum Ragazollae, cum multis peciis et domibus in burgo Ragazollae, in territorio plebis super brayda Domini Armannis, in territorio Zibelli, in territorio S. Crucis ubi dicitur brayda Spini, in Montexelli, in Cruce, Croseta, etc. etc.

È una lunghissima enumerazione di terre e case, sempre nell'Oltrepò, con coerenze dei Pelavicino, dei *Varano*, del monastero di Castiglione, dell'argine del Po, ecc. Nominasi il canale Pellavicino.

Seguono i debiti.

Poi gli utensili: 20 penses pennarum, 16 tovalias a discho et 12 tovalias a manu, 8 guardapanos et . . . panexelos, 13 paria lintiaminum et 3 cultras panni tincti et 1 cultram de zendali, 1 telonum, 1 mataracium et certa masseria acbochina. Item certos scrineos, vegetes, archabanchos, capssas et certa utensillia.

Nel Taccoli, *Mem. stor. di Reggio*, III, 690, leggesi uno strumento del 1265, febb. 4, VIII, Verona, per cui il procuratore del marchese Uberto Pelavicino, acquista da Iacopo figlio del fu Ghifredo di Palude, parmigiano, pezze di terra « in S. Vitale de Bagantia, in Ceretulo, in Cucullo, in S. Hilario, in Castellario ubi dicitur Pratum Vitale, in Monte Pallerio, » per il prezzo di 300 libbre imp.

eodem Federico, est gravata, quia recognovit suspectum Petrum de Frendulfo iudicem; rogare, ut causa committatur iudici nec oriondo nec incollae Parmae vel Mantuae. Rex normas et praecepta exponit, ut causas suspicionis examinent, et iudicem non suspectum eligant, nec non ut iudex Parmae tollatur, si Parmensis est, et si contra statutum Cremonae delegatus fuit. Dat. Parmae, mad. 20, XIV.

Litterae datae fuerunt vicario die 5 iun.

276. — 1331, *iul.* 5, *XIV, Cremonae in domibus maioris ecclesiae.*

Maxenerius de Ponzonibus, archipresbyter maioris ecclesiae Cremonae, et D. frater Guillielmus de Ponzonibus constituunt quinque procuratores ad comparendum coram Iohanne papa XXII occasione processus contra se ipsos initi super crimine haeresis vel quacumque alia causa et ad impetrandum absolutionem de sententiis, ad faciendum quamcumque confessionem obligationem et renuntiationem, et ad iurandum de stando mandatis ecclesiae et quod nihil facient quod sit contra Romanam ecclesiam et fidem catholicam, pontificem seu inquisitores hereticae pravitatis, in favorem hereticorum. (V. n. 219).

277. — 1331, *aug.* 18, *XIV, Cremonae.*

Investitura f. ab Hugolino episcopo in Raffaginum f. q. Cabrini de Alphiano, tamquam de suo feudo honorabili, paterno, avito et antiquo, de decima et decimaria fructuum, obventionum et nascentium curtis Alphiani, detracta quarta ecclesiae et decima novalium et ronchorum — Et Raffaginus iurat fidelitatem episcopo secundum formam, quae refertur (1).

278. — 1331, *dec.* 3, *XV, super palatio veteri Comunis Cremonae.*

Coradinus de Ciria, consul iustitiae Portae Natalis, committit Iacopo de Ardollis notario ut debeat et possit se subscribere pro secundo notario in quodam instrumento vendicionis unius peciae terrae, loco et vice Guillielmi de Placentia, notario, defuncto.

279. — 1332 (1331 *inc.*), *febr.* 28, *XV, Cremonae. D,* 125.

Fines factae per Iacomum de Richelmis, vicarium civitatis et districtus, de toto salario suo pro se et stipendiariis suis, de toto tempore quod stetit ad regimen civitatis.

280. — 1332, *iul.* 7, *XV, Cremonae. D,* 126.

Retornatio de una petia terrae casatae muratae cupatae et soleratae, in vicinia maiori piscariae, facta in massarium et gabellatores regiae Camerae, vice communis, per Zanettum de Portiolo pro 34 libris. (V. 1309, iul. 19 et 26).

281. — 1332, *aug.* 8, *XIV, Cremonae. AG.*

Procurator Annae Dovariae investit Iacomum de Mastaleis, ad fictum reddendum, de una petia terrae guastiae, in vicinia S. Petri sive S. Trinitatis (cohaerent illi de Dovaria).

282. — 1332, *aug.* 22, *XV, Cremonae super episcopali palacio. AG.*

Hugolinus episcopus specialem commissionem concedit Azoni priori S. Azonis de Placentia, vicario suo in spiritualibus, renovandi feudum quod illi de Dovaria tenent ab episcopio cremonensi.

283. — 1332, *aug.* 29, *XV, Cremonae in episcopio. AG.*

Procurator Annae, f. q. nob. militis Nicolini de Dovaria et uxoris Phylipini de Gonzaga, Nicolinus domini q. Guerrae, Bertholinus d. q. Galvani, Montinus d. q. Bertholini, Coradus d. q. Iohannis, Bosius de Sallis ablaticus et heres q. d. Maghi-

(1) Una investitura di questi beni era già stata fatta dai vescovi Cazaconte, Ponzio, a. 1289, ma. 16, al padre Cabrino, da Rainerio, di cui si ha pure l'aut. 1303, dec. 2, II, dove compare come suo procuratore l'arciprete di Genivolta, e infine dal vescovo eletto Egidio dei Madelberti, in presenza del procuratore del quale, Rafaynus nel 1322, aug. 15, V, garentisce di essere vassallo del vescovo, e si dichiara pronto ad avere la investitura. Di quest'atto si ha pure l'autentico.

nardi, Zoanninus d. q. Miravallis et Rolandinus d. q. Moroellis, omnes de Dovaria, coram vicario episcopi Cremonae (V. aug. 22), confitentur esse vassallos episcopi, investituram accipiunt de suo feudo antiquo et avito (V. a. 1221, 11 febr. 1284, 5 mar. 1297, sept. 27).
et fidelitatem iurant.

Antoniolo de Restaliis not.

284. — 1332, *dec.* 6, *in burgo Ripalta, in vicinantia seu in ospitio communis illius burgi congregato et convocato more solito.*

Consilium Ripaltae creat sindicum ad recipiendam ab episcopo cremon. absolutionem a contumeliis et iniuriis contra Bonifacium, praepositum ecclesiae Ripaltae.

285. — 1332, *dec.* 17, *I, in camera maiori ecclesiae cremonensis.*

Iohannes Bonus de Fraganesco archipresbyter et vicarius B... episcopi cremonensis, absolvit procuratorem hominum et universitatis burgi Ripaltae, diocesis cremonensis, ab excommunicatione, quia ceperant et detinuerant Bonifacium praepositum, et clerici dictae ecclesiae et quidam laicus derobaverant domum praepositi.

286. — 1333 (1332 *inc.*), *febr.* 1, *I, Cremonae. Da una pergamena appartenente agli eredi Girondelli, Cremona.*

Sententia episcopi cremonensis Hugolini, qui amovet in perpetuo ab administratione hospitalis Casaedei in Cremona Bernardum praepositum ecclesiae S. Michaelis de Oltedo, qui rationes de administratione non reddiderat.

287. — 1333, *apr.* 1, *I, Cremonae.*

Hugolinus episcopus eligit in rectorem domus de Zeppo seu ecclesiae maioris fratrem Zaninum de Petaciis de Parma, qui iuramentum praestat.

288. — 1333, *apr.* 3, *I, Cremonae.*

Praedictus Zaninus ponitur in corporalem possessionem rectoriae.

289. — 1333, *ma.* 7, *I. Mantuae. AG.*

Anna filia q. Nicolini de Dovaria, consensu Filippini de Gonzaga viri sui, donat, inter vivos, Bosio f. q. Mantegnuti de Salis, unam petiam terrae aratoriae, boschiae, pratiae et vineatae, quae potest esse 100 iugera, in territorio Cremonae, in contrata ubi dicitur Castrum et Burgum Costae, cum pacto reversionis in casu mortis sine filiis legiptimis.

Francischus de Casali notarius.

290. — 1333, *iun.* 7, *I, super palacio veteri Cremonae.* Ficker, *Urkunden zur geschichte des roemerzuges Kaiser Ludwig des Baiern. Innsbruk* 1865, *pag.* 591.

Consilium generale et Hugo de Lupis, Soraneae marchio, vicarius civitatis et districtus pro Iohanne Bohemiae et Poloniae rege etc., constituunt Rolandinum de Marabotis iurisperitum ad faciendum treguam cum omnibus dominis, civitatibus, etc. cum quibus ex parte communis seu regis esset bellum.

291. — 1333, *iul.* 19, *I, in castro novo dominorum de Corigia episcopatus Parmae. Dal* Ficker, *Urkunden etc.* 161.

Treuguae inter Iohannem Bohemiae regem et subditos eius, e quibus Cremonenses, et ceteros eius sequaces ex una parte, et Robertum regem Siciliae, Florentinos et ceteros eius amicos, etc. ex altera, usque ad festum B. Martini proximi sequentis.

292. — 1333, *sept.* 28, *II, in palatio communis Cremonae. ASM.*

Raffaynus de Caresinis notarius, una cum testibus et notariis, testatur legisse in quodam libro statutorum et ordinamentorum, tempore serenissimi principis D. Iohannis Boemiae et Poloniae regis Luciburgensis comitis ac civitatum Brixiae, Bergami et Cremonae etc. domini generalis, et vicarii eius in Cremona Symoni f. Filippi de Regalibus de Pistorio, 1331 (1330 inc.), febr. XIV, tale statutum. « Item cum propter prigriciam et inherciam notariorum qui non faciunt instrumenta multi homines et heredes eorum

amittant iura sua, statutum et ordinatum est quod si aliqua carta tractata vel imbreviata est vel fuerit per aliquem notarium possit finiri in cartam publicam et compleri integre per quemcumque notarium, dummodo ille qui imbreviaverit se subscribat et dicat in subscriptione sua se tractasse et imbreviasse, et probet et valeat sicut probaret et valeret si scriptum esset per manum illius notarii qui tractasset et imbreviasset ».

293. — 1333, *oct.* 18, *I, Mantuae. Dal* Winkelmann, *Acta imp. ined. II,* 803.

Loisius de Gonzaga, vicarius Mantuae, constituit procuratorem, qui a Iohanne rege Bohemiae petat restitutionem Casalismaioris, Platinae, Plumbii, aliorumque locorum inter Padum et Oleum, quae sibi filiisque suis concesserat Ludovicus imp., et quae eidem Iohanni recomendaverat.

294. — 1334, *iul.* 6, *II, in domo Gabellae Cremonae.*

Ratio denariorum quos debent adhuc recipere Iohannes de Sfondratis et Guillelmus Zapella et socii mercatores, facta per Franceschinum de Dodonibus et Ughinum de Laude gabellatores, in praesentia fratris Iob massarii et tesaurarii Gabellae. (V. a 1329, nov. 25 et 27).

295. — 1334, *aug.* 15, *II, dat. Carevalis. AG.* (*senza sigillo*).

Litterae quibus Azo Vicecomes, Mediolani, Pergami, Cremonae et Vercellarum dominus generalis, concedit ut baniti Mantuani, de quoque maleficio, sint et habeantur pro banitis civitatis et districtus Cremonae, et delinquentes in civitate et districtu Mantuae habeantur ut si delinquissent in civitate et districtu Cremonae, ita quod possint per dominos Mantuae capi, sicuti in civitate et districtu Mantuae.

296. — 1334, *aug.* 31, *sept.* 1, 2, *II. AG. Registro del Com. di Mantova, fol.* 215.

Definitio confinium inter territorium cremonense, pertinens ad Azonem de Vicecomitibus Mediolani dominum generalem et Cremonae, et territorium comitatus Casalismaioris et Platinae, pertinens ad Loysium de Gonzaga Mantuae et dicti comitatus dominum generalem, facta ab agrimensoribus Mantuae et Cremonae et ab Ottone de Picenardis et a Franceschino Schelmi de Florencia? potestate Casalismaioris et Platinae.

Egidius q. D. Federici de Ferris notarius.

297. — 1334, *oct.* 30. *III, Cremonae. ASM.*

Palmeria de la Porta, abbatissa monasterii S. Iohannis de la Pipia, investit Guidonem de Morandis et Zohanninum de Adamis, nomine communis Pescaroli, de castroPescaroli, cum fossis et terraliis (cohaeret ab una parte Morandinus de Morandis, ab alia domus monasterii, ab aliis duabus fictalicii monasterii), exceptis quatuor tabulis terrae, per tres annos, pretio 20 sol. imp. quotannis.

298. — 1334, *dec.* 3, *III, Cremonae. AG.*

Nicolinus q. domini Guerrae, Coradus q. d. Zoanini, Domeneghinus q. d. Franceschini, Bertolinus q. d., Galvani de Dovaria, nomine reliquorum consortum, et Anselmus de Raymondis procurator Annae, f. et heredis q. Nicolini de Dovaria et heredis q. Bosii de Dovaria et uxoris Filippini de Gonzaga, et Rolandoti, Zoannini, Rafayni et Montini de Dovaria, et Bosii de Salis ablatici et heredis Maghinardi de Dovaria, praesentia testium inter quos Galeatius marchio de Soragna numeratur, investiunt Franceschinum Butarellum, Alariolum de Cerruto, Bersellum Pemam et Zoanninum Percussum, piscatores, nomine universitatis paratici piscatorum Cremonae, « de tota aqua Padi ab isto capite Stabieli et a Tuuo Bruxalupi usque ad episcopatum Placentie, et de tota aqua Ade morte a lectuli aque Valarse et Aquenigre, et de omnibus aliis suis aquis mortuis », excepta aqua Tinacii quam in se reservant, per decem annos, salvis pactis primae investiturae, et salvis aliis quae enumerantur. Scilicet piscatores promittunt Dovariensibus dare praestare et conducere duos bonos cavedanos de quo-

libet navi seu burclelo, cum quo piscabunt in Pado, pro septimana; promittunt dare in scriptis naves omnes; et denunciare fractionem glaciei pro capiendo pisces; dare quartam partem piscium captorum in aquis mortuis, et terciam partem omnium sturionorum: reliquos vendent cum licentia Dovariensium, vel debebunt eis dare, si emere velint, pretio minori quam alii; promittunt insuper dare in vigilia natali quatuor libras candelarum bonae et purae cerae (V. 1230, dec. 15).

Anselmo de Raimundis not.

299. — 1335, *iun.* 28, *a.* 1°, *d. Avinionis. BG.*

Bulla Benedicti XII, qua indulgentias concedit iis qui visitaverint cappellam aedificatam in ecclesia S. Dominici Cremonae a Carolo de Madelbertis legum doctore et in romana curia et causarum fiscalium advocato.

300. — 1335, *iul.* 15, *III, Cremonae.*

Tota domus de Sommo (sequuntur nomina) constituit Gabrinum et Domeneghinum dictum Malacarnem de Summo, sindicos et defensores, coram Hugolino episcopo Cremonae et paribus curiae eius, ad confitendum quod omnes de Sommo sunt et fuerunt antiqui et antiquissimi vassalli episcopii cremonensis, propter res et bona et iura de quibus vide ad a. 1202, iul. 2, et ad supplicandum episcopum de investitura renovanda, et ad ipsam accipiendam.

301. — 1335, *iul.* 24, *III, in castro Iovisaltae.*

Hugolinus, episcopus Cremonae, ad confessionem illorum de Sommo se esse vassallos episcopii, et ex instrumentis investiturae ab eis productis, scilicet: 1191, aug. 14, VI, tempore Sycardi episcopi, Antonio notario; 1202, iul. 2, V, tempore Sycardi episcopi, Avanzio notario sacri palacii, authenticatum a. 1244, dec. 16, III, Ambrosio de Montenario notario; 1284 (1283 inc.), mar. 17, XII, tempore Cazacomitis episcopi, Medallia de Asinellis notario; 1297, aug. 10, X, tempore Raynerii episcopi, Oddone de Scenis notario; investit, anulo suo aureo, praedictos sindicos, qui iuramentum fidelitatis praestant.

Praesentibus duobus filiis Bentii de Zanebonis, vassallis episcopi et paribus curiae, duobus cappellanis episcopi, Meholino, legum doctore, et Franceschino filiis Ottonis de Moscardis, iurisperitis Cremonae, etc.

302. — 1335, *aug. Dal* Muratori, *Antiq. Ital. VI*, 188-190 (*Catalogus chartarum S. Romanae Ecclesiae confectus a.* 1366).

Enumeratio quorumdam instrumentorum super reconciliatione Cremonensium cum Benedicto papa XII, et super absolutione comunis et relaxatione interdicti lati, pro eo quia adhaeserant Ludovico de Bavaria, damnato per Ecclesiam, et antipapae, ac dominis Matthaeo et Galeatio de Vicecomitibus eorum dominis tunc.

DOCUMENTI

DI

GUASTALLA E LUZZARA

fino all'anno 1127 (*).

1. — 864, *nov.* 2, *XIII, Orco curte regia. Ap. num. d'Arch.* 315, 158, 337. *A*, 365-67. *Codex Diplomaticus Langobardiae, col.* 386.

Donatio curtium Wardistallae et Luciariae facta a Hludovico imp. Engilbergae coniugi suae.

2. — 864, *nov.* 3, *XIII, Orcho curte regia. Ap. num. d'Arch.*, 335. *A*, 382. Ficker, *Forschungen* ecc. 18.

Donatio curtis Wardestallae facta a Hludowico imp. Engilbergae coniugi suae.

(*) Delle carte e dei diplomi sovrani concernenti Guastalla e Luzzara, furono qui registrati soltanto quelli che si custodiscono nell'Archivio del Comune di Cremona.

Aggiungo l'elenco delle Badesse e degli Abati del monastero di S. Sisto di Piacenza, dalle origini fino all'abate Leonardo, col quale cessò la lite fra il Comune di Cremona e la Badia per il possesso di queste due corti.

Cunegunde. Campi, Dell'historia ecclesiastica di Piacenza, 1651, I, 210; Affò, Istoria della città e ducato di Guastalla, 1785, I, 33; Codex Diplomaticus Langobardiae, 1878, 513-14, doc. dell'anno 882, 1 giugno. Il Campi scrive erroneamente che fu eletta nell'853.

Scamburga. Affò, I, 308, anno 890; il Campi, I, 217, dà come succeditrice a Cunigunda, Theodarga nell'867, ma a torto.

Adelberga. Doc del Campi, III, xxxv, 476, a. 896, 25 aprile. Non è l'imperatrice Angelberga, come egli credette. Cfr. Affò, I, 49; Id., I, 312, a. 906, 18 luglio.

Berta, figlia del re Berengario I, badessa nel 915; Affò, I, 55; Id., I. 321, a. 952, 6 febbraio. Morì nel 960; Id., I, 60.

Alchinda. Doc. 981, 15 ottobre, Ficker, Forschungen zur Reichs- und Rechtsgeschichte Italiens, 1873, IV, 1, pag. 42; Cod. Dipl. Lang., col. 1349 e 1047.

Ita. Anno 999, 4 febbraio, Ficker, op. cit., pag. 59; Cod. Dipl. Lang., col. 1658. Il Campi, I, 298, dice che fu eletta solo nel 1002.

Adeleida. Anno 1050, 11 giugno, Ficker, op. cit., pag. 87.

Imelda. Anno 1102, 4 giugno, Affò, I, 328.

Febronia, cacciata dal monastero per opera del papa e della contessa Matilde nel 1112. Affò, I, 124; Campi, I, 383.

Odone, abate, tolto dal monastero di Polirone, Affò, I, 124. Nel 1115 Pasquale II gli concede un privilegio, Affò, I, 329. Ai 26 luglio, 1116, dà una carta di franchigia ai Guastallesi, Affò, id. Fu espulso dall'imperatore Enrico V nel 1116.

Febronia rientra; è ricacciata dai legati del papa nel 1129, Affò, I, 134 e 330.

Odone rientra; anno 1131, 10 novembre, Arch. Com. di Cremona; nel 1132, 14 luglio, Innocenzo II gli conferma i diritti tutti della badia, Campi, I, 553, Affò, I, 332.

Pietro succede nel 1135, Affò, I, 142; anno 1141, Campi, I, Reg. n. 130, pag. 139. Dal doc. 1139, 1 giugno, Ficker, op. cit., IV, 1, pag. 155, appare che Lanfranco Cavazola possedeva parte di Castelnuovo Bocca d'Adda, di cui, come da altro documento del Ficker, 1151, agosto 8, pag. 164, era stato investito dall'abate Pietro.

Berardo, creato abate nel 1145, secondo l'Affò, I, 144. Nel 1150, 14 novembre, cede Castelnuovo al comune di Piacenza. Federico I gli concede un privilegio nel 1155, indizione III. Nel 1173, 13 luglio e 1175, 8 dicembre, investe Alberto, arciprete della chiesa di S. Pietro in Guastalla, di alcune terre.

Gandolfo. È detto abate di S. Sisto nel precetto di Federico I, 1185, 29 gennaio, e nella querela all'imperatore del 1185, 10 luglio: Affò, I, 346. La bolla però di Lucio III, del 6 febbraio 1185, è indirizzata: « *Adelardo* electo et conventui S. Systi Placentiae ». L'Affò, I, 194, riporta sulla fede di Arnoldo Wion, che Gandolfo morì nel 1229, ma è falso. È citato ancora nel 1230, dicembre 7. Dopo l'anno 1231, 15 luglio, appare come testimonio in alcuni atti, ma non più come abate; nel 1232, 7 ottobre, è annoverato fra i monaci di San Sisto e così in altre carte posteriori.

Leonardo, 1231, 15 luglio.

3. — 864, *nov.* 28, *XIII*, *Wardestalla. C. D. L.* 387.

Walpertus, episcopus mutinensis, iussu Hlodohwici imp., revestit ministrum et famulum Inghelbergae imperatricis de possessione curtis Wardestallae (1).

4. — 870, *iun.* 3, *XIII, Venusia. Dal C.D.L.* 396.

Hludovicus imp. confirmat Angilbergae, coniugi suae, donationem curtium Wardistallae, Luciariae, Sexti, etc. aliaque bona addit, ad utilitatem praecipue monasterii quod ab Angilberga Placentiae aedificabatur.

5. — 877, *mar. X, Brixia intus monasterio novo. Ap. anni* 1227, *e A*, 369. *C. D. L.* 452.

Testamentum Angilbergae, quo monasterio monacharum Placentiae ab eadem aedificato in honorem S. Sisti et Fabiani, bona suà praesentia et futura legat, inter quae Wardestallam et Luciariam.

6. — 877, *aug.* 9, *X*, (*Wardestalla*). *C. D. L.* 460.

Martinus, gastaldio Anchelbergae Deo dicatae et relictae q. Hluduvici imp., dat libellario nomine per 29 annos iugera 25 in Fellina (Guastalla) Manifre et Rimperto liberis hominibus.

7. — 882, *apr.* 17, *XV, Papiae. Ap. a.* 1227, *e A*, 371. *C. D. L.* 523.

Karolus imp. Angelbergae omnia bona (Guardistallam, Luciariam, Sextum, Fagedum et Mucianam, etc.) ab antecessoribus suis donata confirmat.

8. — 882, *iun.* 1, *XV, Placencia. C. D. L.* 513.

Cunigunda abbatissa monasterii S. Resurrectionis Placentiae (mon. di S. Sisto) dat 20 iug. terrae in Wardestalla, libellario nomine, Leoni f. q. Bernardi homini libero, per 29 annos (2).

9. — 882, *iun. XV, Placencia. C. D. L.* 514.

Cunigunda, abbatissa monasterii S. Resurrectionis Placentiae, dat 14 iug. terrae, libellario nomine per 29 annos, sita in loco Marches in finibus Wardestallae, Sebastiano Dominico et Petro liberis hominibus (3).

10. — 885, *ma.* 1, *III, in ecclesia S. Iuliani. C. D. L.* 553, *ma la pubblicazione è incompleta* (4).

Adelmannus diaconus et minister Angilbergae, olim imperatricis, et Adelbertus advocatus eiusdem imperatricis, dant, libellario nomine, Trutgerio f. q. Gausperti, terram et res in loco Feglinae (Guastalla), quae fuerunt olim Bennonis et Waltrudadae iugalium.

† In Christi nomine. Placuit adque convenit inter Adolmannus diaconus et minister domne Angilberge olim imperatrix et Adelbertus notarius domni imperatoris avocato ipsius domne Angilberge nec non et Trutgerio filius quondam Gausperti, ut in Dei nomine debeand dare sicut et a presenti dederunt ipsi Adelmannus et Adelbertus avocatus eidem Trutgeri sub censum reddendum vel laborendum libellario nomine (5), hoc sunt casis et omnibus rebus illis iuris suprascripte domne Angilberge quibus sunt positis in loco et fundo Fegline seu per aliis vocabolis ad ipsis rebus pertinentibus omnia et ex omnibus quicquid ipsa domna Angilberga in ipso loco vel eius territorio abere visa est, qualiter ab quondam Benonem fuerunt possesse et sicut idem domne Angelberge advenerunt per cartulam ab Bennonem et Waltrudada giogalibus in integro.

---

(1) C. D. L. 387, c, 6, exemplar, Aut. exsemplar; id., c, 12, cunctisque, Aut. cuntisque; 388, a, 1, Hadeolbald, Aut. Hadeobald; id., b, 1, traditione, Aut. traditionem; id., b, 9, Auteberti, Aut. Anteberti; id., b, 10, Teudebertus, Aut. Grinebertus; id., b, 12, Audolfus, Aut. Adolfus; id., c. 2, qui interfui, Aut. qui interfuit; id., c. 3, Grhinbertus, Aut. Raghinbertus.

(2) C. D. L. 513, b, 7, Bernadi, Aut. Bernardi; id., heredibus, Aut. ehredibus; id., b, 10, imperatris, Aut. imperatrix; id., c. 2, pratas, Aut. pratis; id., c, 10, novalium, Aut. nondinarum; id., c, 13, nostrum, Aut. nostro; id., c, 14, Padii, Aut. Padu; id, d, 4, rabaa, Aut. raba; id., d. 9, utensilia, Aut. tensilia; 514, a, 2, heredes, Aut. ehredes; id., a, 12, Actum Placentia, Aut. Actu Placencia; id., a, 15, testes, Aut. testis, e così nelle seguenti segnature.

(3) C. D. L. 514, c, 12, heredibus, Aut. ehredibus; 515, a, 12, rabaa, Aut. raba; id., b, 5, utensilia, Aut. tensilia; id., b, 8, heredes, Aut. ehredes; id., c, 2, persolvemus, Aut. persolverimus; id., c, 3, Placentia, Aut. Placencia; id., c, 8, Rotcarius, Aut. Rottarius.

(4) A tergo di questa pergamena sta un ristretto dell'atto in note tironiane.

(5) Le parole *vel laborendum libellario nomine* furono scritte dopo che fu raschiata la pergamena e furono cancellate altre parole, di cui rimane traccia.

Hac ratione uti a modo ipse Trutgerio et suos heredes hec superius scriptis omnibus (1) casis et rebus in integro habere et laborare debeant et faciant inibi aut ex frugibus earum rerum vel censum quibus..... dederit quicquid voluerit sine omni contradictione eorum Adelmanni et Adelberti....... Angilberge. Ita ut pro eis casis et rebus ipsis meliorentur nam non pegiorentur..... singolis, ipse Trutgerio vel suos heredes a parte predicte domne Angilberge.......... idem domne Angilberge in iuliano pro omni mense madio, alia super imposita... vero inter se posuerunt ut quis ex ipsis aut heredibus eidem Trutgeri non pleverint... vel si exire aut menare voluerint ante ipsos annos expletos.... pena in argento soldos centum. Unde duo libelli uno tinore scripti sunt. Anno imperii domni Haroli quinto, kalendas madias, indictione tertia. Actum in ecclesia sancti Iuliani feliciter ubi Albericus comes palacii et missus preerat.

† Ego Drutgerio in oc libello a me facto subscripsi.

† Petrus iudex domni imperatoris in hoc libello rogatus subscripsi.

† Aripertus iudex domni imperatoris in hoc libello rogatus subscripsi.

† Iohannes iudex domni imperatoris in hoc libello rogatus subscripsi.

† Aldegiausus notarius domni imperatoris in hoc libello rogatus subscripsi.

† Ego Gudipertus..... suscripsi.

† Ego Otcisizo.....

† [Ego Adelbertus] notarius domini imperatoris scriptor huius libelli [Alberico] comiti palaci et misso postradita complevi et dedi.

11. — 885, *nov. IV. C. D. L.* 561.

Gastaldio Ingelbergae imperatricis dat libellario nomine, per 29 annos, 20 iugera « subto roncores brexellanos prope Wardestalla capo tenente in flumine Pado » Leoni libero homini, quorum fructum reddere debeat mon. S. Sixti Placentiae (2).

12. — 890, *nov.* 30, *IX. Dal C. D. L.* 575.

Irmengarda, deo devota, filia Ludovici imp. et Angilbergae, donat monasterio S. Sixti Placentiae cortes Wardestallam et Luciariam, aliasque.

13. — 901, *ian.* 19, *IV, Bolonia. Aut. e A*, 168, 370. *C. D. L.* 651.

Hluodovicus rex donat monasterio S. Xisti Placentiae curtem Wardistallam.

14. — 902, *febr. V, Placencia. C. D. L.* 316.

Adelberga, abbatissa mon. S. Resurecionis Placentiae, dat libellario nomine per 29 annos, iugera 25 terrae in Wardestalla, Grimaldo f. q. Teodemarii libero homini (3).

15. — 902, *sept. VI. C. D. L.* 674.

Venditio de terris et casis, in loco Roncalies prope Wardestallam in roncoras Langobardorum, facta ab Anzeverto et Rasperto germanis f. q. Boniperti, Adelbergae abbatissae monasterii S. Sixti Placentiae, pretio solid. 10 (4).

16. — 903, *ian. VI, Placencia in ecclesia monasterii S. Resurrectionis. A*, 380 *e altro ap. del sec. XIII. C. D. L.* 680.

In placito, coram comite Placentiae episcopis et iudicibus regis Berengarii, autenticatur donatio Irmengardae monasterio S. Sixti a 890, nov. 30.

17. — 904, *mar.* 31, *VII, Placencia. C. D. L.* 687.

Adelberga, abbatissa mon. S. Resurrectionis, dat iugera 5, libellario nomine, per 29 annos, Dominico f. q. Teudemarii

(1) Pure in seguito a raschiatura furono scritte le parole *hec superius scriptis omnibus*.

(2) C. D. L. 562. a, 5, roncores Brexellanes, Aut. roncores brexellanos; id., a, 7, heredis per, Aut. heredibus super; id., a, 13, alio homnes labores modio, Aut. alio homnis labores inde; id., a, 14, oves, Aut. oves decem; id., b, 5, omnes colonnas, Aut. omnis calomias; id., b, 13, heredes, Aut. heredibus.

(3) C. D. L. 316, c, 2, augustus, Aut. agustus; id., c, 4, heredibus, Aut. ehredibus; id., c, 9, conquestum, Aut. conquistum; id., d, 10, oves, Aut. ovas; id., d, 11, anteposita roba modia, Aut. anteposita raba, visia; 317, a, 3, peiorentur, Aut. pegiorentur; id., a, 5, boves et otensilia, Aut. boves animalia seo tensilia; id., a, 6, 7, notrictum aut conquestum, Aut. notritum aut conquistum; id., a, 7, ipse, Aut. ipso; id., a, 8, ex ipsis successores vel heredes, Aut. ex ipsis aut successores vel ehredes ante expletionem libelli; id., a, 14, soldos, Aut. solidos; id., b, 13, post tradita, Aut. postradita.

(4) C. D. L. 675, a, 10, toto, Aut. totum; 674, d, 15, advenet, Aut. advenit; 675, a, 14, convenet hoc est in valentem, Aut. conveni exinde et in valorem.

de Wardestalla libero homini, in loco Wardestalla (1).

18. — 905, *iun.* 17, *IX*, *Olonna*. *Aut. e A*, 383. *C. D. L.* 727.

Berengarii regis diploma, quo privilegiorum deperditorum iacturam reparat mon. placentino S. Resurrectionis, eique omnia bona confirmat, specialiter cortem Wardistallam (2).

19. — 915, *iul. III*, *Placentiae*. *C. D. L.* 798.

Berta, abbatissa mon. S. Sixti, dat Elmerico ex genere Francorum, per 29 annos ad censum annuum reddendum, duo partes ecclesiae S. Martini, crematae a Paganis, in loco Clugia in finibus parmensibus, cum duobus massariciis in Gazianise prope Popilio, iuris curtis Wardestallae (3).

20. — 917, *aug.* 27, *V*, *Curte Sinna*. *A*, 372 *e altro ap. dell'a.* 1227. *C. D. L.* 820 (4).

Berengarius imp. Bertae, filiae suae, monasterium S. Sisti Placentiae cum omnibus bonis confirmat, inter quae Wardestallam et Luciariam.

21. — 924, *nov.* 12, *XII*, *Veronae*. *A*, 373 *e altro ap. del* 1227. *C. D. L.* 875, *e* 877 *in estratto*.

Rodulphus rex, Bertae abbatissae mon. S. Sixti Placentiae, iura et possessiones confirmat, inter quas Wardestallam et Luciariam (5).

22. — 926, *sept.* 3, *XV*, *Papia*. *A*, 374 *e altro ap. dell'a.* 1227. *C. D. L.* 887.

Hugo rex Bertae abbatissae mon. S. Sixti Placentiae, iura et possessiones, e quibus Wardestallam Luciariam Sextum, confirmat.

23. — 951, *ian.* 27, *IX*, *Papiae Ticinum*. *A*, 375, 169, *e altro ap. dell'a.* 1227. *C. D. L.* 1011.

Berengarius et Adelbertus reges Bertae abbatissae mon. S. Sixti Placentiae, iura et possessiones, e quibus Wardestallam Luciariam Sextum, confirmant.

24. — 952, *febr.* 6, *X*, *Papia*. *Aut. e A*, 381. *C. D. L.* 1024.

Otto rex Bertae abbatissae mon. S. Sixti Placentiae, Wardestallam Luciariam Sextum reliquasque possessiones et iura confirmat (6).

25. — 1002, *iul. XV*, *iuxta ecclesiam S. Petri* (*Wardestallae*).

Iohannes iudex f. q. Giberti de castro Wardestalla, concedit libellario nomine per 29 annos Martino f. q. Gualdrati qui fuit habitator eiusdem castri iugera 7 terrae, iuris monasterii placentini S. Syxti, Fabiani et Sebastiani, sita in curte Wardestallae in loco et fundo Iacoline, quae ipse Iohannes detinet ex parte comitissae Mateldae, solvendo « singulis annis per omnem mercatum Wardestallae qui est in mense iulii in ipso mercato viginti denarios lucensium spendibiles. »

Testes: Martinus, Iohannes, Albertus.

(1) C. D. L. 687, d, 10, heredibus, Aut. ehredibus; 688, a, 1 ipsis, Aut. ipsius; id., a, 8, alia curte, Aut. alio capite; id., a, 10, rendeamus, Aut. rendamus; id., a, 11, de laboracionae, Aut. alia laboracione; id., a, 12, evetum, Aut. evectum; id., b, 3, nostram curte, Aut. nostra curte; id., b, 4, et ex ipsa, Aut. et ipsa; id., b, 5, curte de laco, Aut. curte de loco; id., b, 6, non peiorentur, Aut. nam non pejorentur; id., b, 7, nelicto, Aut. relictum; id., b, 8, seu utensilia, Aut. seo tensilia; id., b, 10, tercio, Aut. quarto, sopra del quale fu scritto dopo tercio; id., b, 11, heredibus, Aut. ehredibus; id., b, 15, superius, Aut. supra.

(2) C. D. L. 727, d, 9, aeterne, Aut. aeternae; id,, d, 10, praemia, Aut. premia; id. 728, b, 3, praecepto, Aut. precepto; id., b, 8, que, Aut. quae; id., b, 11, comutacionis, Aut. comutationis; id., d, 5, assignari, Aut. signari.

(3) C. D. L. 799, b, 1, iuris Cumberti, nec de curte Wardestalla, Aut. iuris qui pertinet de curte Ward.; id., b, 4, quidam, Aut. quondam; id., b, 8, actularis, Aut. actulariis; id., c, 1, seu, Aut. seo; id., c, 10, deutam ecclesiam, Àut. de suprascripta ecclesia; id., d, 6, manus, Aut. manu; id., d, 11, salico, Aut. salica; id., d, langubard, Aut. langubardi; id., d, 14, manuum, Aut. manu.

(4) La corte Sinna, donde è dato questo diploma, toglieva forse il suo nome dal rio omonimo, che nella carta del 1032, dic. 8, XV, S, 123, dicesi che scorreva nel territorio di Mozzanica. Esiste però un Senna lodigiano e un altro comasco.

(5) In questo diploma, come nel precedente di Berengario, dell'a. 917, non si ricorda più la corte di Sesto.

(6) C. D. L. 1024, b, 10, ecclesiae, Aut. ecclesie; b, 14, exoraverint, Aut. exoraverunt; d, 7, quirendas, Ant. querendas; 1025, a, 2, scitum, Aut. scitam; b, 12, fatiat, Aut. faciant.

26. — 1102, *iun.* 4, *X, in loco Mirandula. A,* 258, 303, 376, *e due altri ap.* Muratori, *Antiq. VI,* 71, Affò, *St. di Guastalla, I,* 328.

Restitutio castri et curtis Guardistallae facta a comitissa Matilde, Imildae abbatissae monasterii S. Syxti placentini, et conventiones inde factae.

27. —. 1102, *iul.* 6, *X, Wardestallae. A,* 303 *e aut.*

Pacta et conventiones inter abbatissam monasterii S. Systi placentini, et homines Guardestallae, ad tuitionem et securitatem eorum.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo secundo, sexto die mensis iullii, indictione decima. Ea omnia que gesta sunt ad memoriam retineri non possunt, idcirco vinculo scripture annotari equum est. Qua propter omnibus nostris fidelibus volumus innotescere pactum et conventionem qua ego Imilda, Dei nutu abbatissa monasterii sanctorum Sixti et Fabiani scitum Placentia, feci, simul cum Opizone advocato meo, cum hominibus de curte Wardestalla, ut nullam iniuriam vel violenciam eis inferatur a me vel a meis hominibus vel ab aliquibus successoribus meis, sine ratione vel legali iudicio, in castro, cuius annuus redditus sit unius ranucini pro singula tabula, sive in burgo, cuius annuus redditus sit unius denarii currentis monete pro singula tabula, seu in ripa, cuius dignum et rectum ripaticum extraneorum nostris usibus conservantes, indigenas et quo habitantes negociatores absolvimus; reliquum vero theloneum, quod vocatur maltoletum, indignum ecclesiastice disipline et maxime monastice religioni, cum portibus, hominibus de Warstalla largimur in comune habendum. Insuper concedo omnibus curialibus Warstalle, qui equum convenientem armis retinere voluerint ad ecclesie sueque libertatem tuendam, omnia que possident pro feudo cum omni honore habere. Agricole vero prenominate abbatisse suisque successoribus faciant braidam et vineam et dent porcum et multonem, tercium et quartum et ligna ad suam utilitatem. Albergaria autem dent pro uno quoque iugero sextarium panis et vini et stramen et lectum et amiscere, alia superimposita eis non fiat; et si alicui iniuria ab altera parte illata fuerit consilio trium maiorum hominum infra triginta dies emendetur; de navis vero si in ripa fuerit ad suum dominicatum habeat eundi et redeundi Placentiam. Castrum vero vel curtem iam dicta abbatissa vel alia nullo modo alicui persone det sine conscilio duodecim liberorum hominum, qui eligantur in tempore illo a populo. Quod ut verius credatur et firmius teneatur, obbligo me iam dicta abbatissa, simul cum Opizone advocato meo, et aliam abbatissam pust me venturam, si hoc non adimpleverimus, componere auri optimi libras viginti et manu propria subscripsi. Actum Wardastalla feliciter. † Ego Imilda abbatissa subscripsi et cumfirmavi. Ego Oppizo advocatus subscripsi. Uviardus (1), Sigiso de Monasterio, Henricus gastaldio, Martinus de Curte Maiore ibi erant, Lanfrancus Bilencio, et Albertus, Gibertus, Otto.

† Ego Iohannes palatinus iudex interfui et subscripsi.

28. — 1111, *apr.* 4, *IV, Wardestallae iuxta ecclesiam S. Petri.*

Dominicus et Michael, pater et filius, concedunt Bello, filio Azonis, de burgo Wardestallae, iug. 2 terrae, cum casa, horto et vinea, in villa Marche, iuris mon. S. Systi, et accipiunt launechild crosnam unam; hoc pacto quod Bellus et heredes solvant quotannis denarios sex lucenses Sigifredo et Trasoco et Wiberto filiis q. Trasoci; et quod Michael habitet in domo et laboret terram donec vixerit, sed det eidem Bello quotannis « turtam unam de quatuor pullis et fugacias duas et barilem unum vini. »

29. — 1116, *iul.* 26, *IX. A,* 248, 128 *e aut.* Muratori, *Antiq. IV,* 59. Affò, *St. di Guastalla, I,* 331.

Oddo, abbas monasterii S. Syxti, confirmat concessiones hominibus Warstallae factas ab Imilda abbatissa (1102, iul. 6), aliaque addit (2).

(1) Alviardus nel Cod. A.

(2) L'Affò, riportando dal Muratori quest'atto, si permise, per mire politiche, di alterarne il dettato in fine, e precisamente là dove si parla della facoltà dei consoli Guastallesi di immischiarsi negli affari del loro signore, l'abate. Anche nel corpo della sua storia, egli si guardò bene dall'ammettere l'ordinamento libero comunale in Guastalla, nè volle riconoscere interruzione nella legittima signoria. V. vol. 1°, p. 129, 130.

Nell'Aut. questo atto ha la data del 1116; ma nel Cod. A. n. 128, ha la data del 1117, mentre al n. 248 ha 1116.

DOCUMENTI DELLA LITE

CON

L'ABATE DI S. SISTO DI PIACENZA

PER

GUASTALLA E LUZZARA

1193-1227.

1\. — 1193, ***ma.*** 3, *XI, Placentiae. A,* 366 *e altri ap.* Astegiano, *Il Possesso di Guastalla e Luzzara, Arch. St. Lomb., giugno* 1882.

Autenticatio et publicatio duorum diplomatum Ludovici II, 864, nov. 4 (donatio Guastallae et Luciariae) et 872, aug. 8 (de portu S. Sixti Placentiae) facta iussu Petri titulo S. Ceciliae cardinalis et legati apostolici, et Ardicionis episcopi placentini, et ad postulationem Gandulfi abbatis S. Sixti (1).

2\. — 1199, *febr.* 13, *a.* 1, *Laterani. A,* 338 *e altri ap.*

Innocentius III committit episcopo reginensi iudicium causae, quae vertitur inter abbatem S. Sixti et comm. Cremonae, super curtibus Guastallae et Luciariae.

3\. — 1199, *iul.* 8, *a.* 2, *Laterani. Ap.*

Innocentius III praecipit episcopo reginensi, qui in causa nondum processerat, ut omni cunctatione remota, causam diiudicet inter monasterium S. Sixti et comm. Cremonae.

4\. — 1199, *aug.* 31, *Regii. A,* 294 *e* 325 *e altro ap.*

Petrus, episcopus reginus, praecipit nuntio, ut Cremonam eat et potestati Cremoxiano det litteras, quibus ei statuit terminum peremptorium comparendi coram se, scilicet sextam feriam post nativit. Mariae, propter causam cum monasterio S. Sixti, cum iam ter eum frustra citavisset.

5\. — 1199, *sept.* 1, ***sub porticu Raimondi de Oldoinis, Cremonae. A,*** 295 *e* 325. Ficker, *Forschungen, zur Reichs und Rechtsgeschichte Italiens,* 257.

Attestatio Alberti Caput Agnelli, notarii, de praesentatione litterarum facta potestati, qui percussit et expulit missum.

6\. — 1199, *oct.* 1, *Regii. A,* 260 *e* 230.

Episcopus reginus dat Guidoni de Puteo, advocato Cremonae, exemplum petitionis Gandulfi abbatis S. Sixti, qua petit

(1) Il diploma dell'anno 872, 8 agosto, non è riportato nel Codice A, ma solo il primo. Però da due pergamene, numero d'Arch. 314 e 401, risulta che era appunto questo il secondo diploma autenticato. Il Mühlbacher (Böhmer, Reg. imp. p. 471) lo dice falso e foggiato su quello dello stesso imperatore, dell'a. 874, 3 ottobre, Muratori, Ant. I, 933, e II, 454. — Cf. Documenti non cremonesi, conservati nell'Archivio del Comune di Cremona, 1.

restitutionem curtis et castri Guastallae et curtis Luzariae, et exemplum litterarum Innocentii III, 1199 febr. 13, statuens terminum Cremonensibus ad respondendum.

7. — 1199, *oct.* 23, *II, Regii in palacio episcopi. A*, 246 *e* 251 *e altri ap.* Affò, *St. di Guastalla, I*, 353.

Episcopus reginus pronunciat, mittendum esse monasterium S. Sixti in possessionem curtium Guastallae et Luciariae (salvo iure episcopi regini si quod sit in Luzaria), quia Cremonenses vocati noluerunt venire ad iudicium — et creat nuncium ad hoc peragendum.

8. — 1199, *oct.* 23, *II, in curia Martiniciti de Curte nova. A*, 118, 134, 296, 298, 292 *e altri ap.*

Gandulfus, abbas S. Sixti, constituit procuratorem ad recipiendam possessionem castri et curtium Guastallae et Luciariae.

9. — 1199, *oct.* 24, *II, in capite pontis castri Guastallae, et ad portam eiusdem castri. A*, 119, 120, 293, 297, 299 *e aut.* Affò, *St. di Guastalla, I*, 354.

Nuncius episcopi regini ponit nuncium monasterii S. Sixti in possessionem castri et curtis et iurisdictionis Guastallae.

Id. id. in curte Luzariae, iuxta clausuras.

Nuncius episcopi regini ponit procuratorem S. Sixti in possessionem curtis et iurisdictionis Luzariae.

10. — 1200, *ian.* 16, *a.* 2, *Laterani. A*, 339 *e altro ap.*

Innocentius III delegat episcopum Mutinae iudicem in causa inter conventum S. Sixti Placentiae et illos qui negabant exhibere ei fidelitatem propter quaedam tenimenta in curte de Camiliacio, quae est propria conventus.

11. — 1200, *ian.* 24, *a.* 2, *Laterani. A*, 340 *e altro ap.*

Innocentius III, cum episcopus reginus, citatis frustra Cremonensibus per plura edicta et peremptoria, misisset abbatem S. Sixti in possessionem curtium Guastallae et Luciariae, et demum recusavisset in eo negotio procedere, committit Mutinensi episcopo causam eamdem.

12. — 1200, *febr.* 15, *III, Placentiae ad mon. S. Sixti. A*, 268.

Gandulfus abbas S. Sixti constituit missum et responsalem suum in causa cum comm. Cremonae, super curtibus Guastallae et Luciariae, et cum episcopo regino, super Curte nova.

13. — 1200, *mar.* 29, *III, Cremonae, in ecclesia S. Laurentii.*

Nuncius episcopi mutinensis, per quoddam breve eiusdem episcopi, citat potestatem cremonensem ad comparendum Mutinae, die sabati prox. post fest. pasc. resurr., in causa de Guastalla et Luzaria.

14. — 1200, *apr.* 21, *a.* 3, *Laterani. A*, 341 *e altro ap.*

Innocentius III praecipit abbati S. Mariae de Strata, ut cogat episcopum reginum ad recedendum a postulatione 110 libr. imp. a monasterio S. Sixti vel a fideiussore eius, propter iudicaturam in causa de Guastalla et Luzaria.

15. — 1200, *id., id., A*, 342 *e altro ap.*

Innocentius III praecipit Petro, regino episcopo, ut desistat a postulatione a monasterio S. Sixti 110 lib. imp. iudicaturae nomine, in causa inter Cremonam et monasterium.

16. — 1201 (*nov. Anagniae*). *Dal* Theiner, *Vetera Monumenta Slavorum meridionalium, etc. Romae*, 1863, *n.* 201. *Cfr.* Potthast, *Reg. Pontif. Rom. I*, 134.

Innocentius III Sicardo, episcopo cremonensi, crucesignato concedit, ut non obstante interdicto cui civitas supposita est, possit divina officia celebrare.

17. — 1201, *mad.* 7, *d. Laterani. A.* 345. Ficker, *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens. V, pag.* 25[illegible], *e* Böhmer, *Acta imperii selecta, pag.* 618.

Bulla Innocentii III ad episcopum mu-

tinensem ut relaxet sententiam excommunicationis et interdicti contra Cremonenses, si cautionem praestent quod coram eo exhibeant iustitiae complementum abbati S. Sixti de Placentia de curtibus Guastallae et Luciariae.

18. — 1201 (*mai. Laterani*). *Dal* Theiner, *Vet. mon. Slavorum merid. n.* 63. Potthast *Reg. Pont. Rom. I*, 125.

Innocentius III potestati consilio et populo Cremonensi praecepta dat super restitutione facienda de curtibus Guastallae et Luzariae.

19. — 1203, *febr.* 28, *a.* 6, *Laterani. A*, 343. Affò, *Storia di Guastalla, I, pag.* 355.

Litterae Innocentii III ad episcopum Mutinae praecipientis quatinus potestatem, consules et consiliarios Cremonae excommunicatos publice nuntiet et civitatem suppositam interdicto, propter causam quae erat inter Monasterium S. Sixti et Cremonenses de curtibus Guastallae et Luciariae, et testes abbatis audiat.

20. — 1203, *mart.* 3, *Laterani, a.* 6. *A*, 344, *c aut.*

Innocentius III episcopis papiensi, placentino et laudensi, qui mandatis suis haud paruerant, denuo cum minis et reprehensionibus praecipit quatinus potestates, consules et consiliarios Cremonae excommunicatos et civitatem suppositam interdicto publice denuntient, ob litem cum monasterio S. Sixti, et ab omni officio atque beneficio suspendant presbyteros cremonenses, qui dicuntur divina etiam celebrasse post sententiam interdicti, et cogant ad ipsum venire.

21. — 1204, *oct.* 2, *VII, in palatio mutinensi.*

Egidius, episcopus Mutinae, constituit Fruminellum de Florano nuncium suum ad denunciandum consulibus Cremonae ut veniant vel mittant ad eum, quia abbas S. Sixti vult producere testes super causa de curtibus Guastallae et Luciariae.

22. — 1204, *oct.* 5, *VII, in maiori ecclesia Cremonae.*

Fruminellus de Florano denuntiat Guilielmo Mastallio, consuli Cremonae, nomine comunis, ut veniant vel mittant nuncium ad audiendos testes abbatis S. Sixti infra 10 dies.

23. — 1204, *VII, Mutinae* (15-16 *oct.*) Astegiano, *Il Comune di Cremona e il possesso di Guastalla, ecc. Archivio Storico Lombardo*, 2, 1882, *pag.* 30 *e seg.*

Undeviginti testes, rogante episcopo Mutinae, testantur quod viderunt abbatem S. Sixti habere plenam iurisdictionem et dominium curtium Guastallae et Luciariae, et quomodo Cremonenses eum expulerint.

24. — 1204, *nov. VII, d. Mutinae* (*senza data ed indicazione di luogo*). *Ap.* Astegiano, *id. pag.* 39.

Litterae Egidii, mutinensis episcopi, Innocentio papae quibus eum hortatur ut durius aggravet manus suas in Cremonenses, et nunciat se transmittere per abbatem S. Sixti ad eum testes sigillatos quos dictus abbas coram se produxerat.

25. — 1204, *dec.* 7, *d. Romae apud S. Petrum, a.* 7. Ficker, *op. cit.* 261, *con data* 8 *dic.*

Innocentius III consulibus, credentiae et populo Cremonensi nunciat absolutionem ab excommunicatione et interdicto, pro compositione Romae inita coram se inter Iohannem Bonum, nuncium Cremonae, et abbatem S. Sixti super facto Luciariae et Guastallae, tenoremque huius compositionis refert.

26. — 1204, *dec.* 8, *d. Romae apud S. Petrum, a.* 7. *A*, 347.

Litterae Innocentii III abbati et capitulo S. Sixti in quibus absolutionem Cremonensium nunciat, praecipitque quatinus inviolabiliter observent compositionem cum Cremonensibus.

27. — 1204, *dec.* 8, *d. Romae apud S. Petrum. A*, 346. Affò, *Stor. di Guastalla*, *I*, 358, *ma con data* 6 *dicembre.*

Innocentius III mandat episcopo parmensi quatinus civitatem Cremonae, consules et consiliarios ab interdicto et excommunicatione absolvat, iuratoria cautione recepta quod suis oboediant mandatis, et ipsis iniungat ut inviolabiliter servent compositionem factam cum abbate S. Sixti, cuius tenorem refert.

28. — 1204, *dec.* 22, *VIII*, *in palatio Cremonae. A*, 243, 324 *e aut.*

Consules et homines consilii et credentiae Cremonae iurant oboedire mandatis Innocentii III de excommunicatione et de compositione inita inter nuncium Cremonae et abbatem S. Sixti coram pontifice.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quarto, indictione octava, decimo die exeunte mense decembri, in palatio Cremone, in credentia publica ad sonum campane congregata, presentia domini Frederici cremonensis archidiaconi et domini Petri maioris ecclesie Cremone archipresbiteri et dominorum Conradi et Homoboni eiusdem ecclesie canonicorum et domini abbatis sancti Laurencii et Iohannis de Bernardis et Mathei notarii et Nicole notarii et Nicolai notarii. Domini Omnebonus de Ursolario et Iohannes de Summo et Wido Dodhonus et Wilielmus Mastallius et Mariscottus de Burgo, consules comunis Cremone et homines illius conscilii et credentie, videlicet dominus Oldefredus Ardengus et dominus Paganus de Burgo et dominus Pistor Guazzonus et dominus Conradus Guazonus et dominus Obertus de Pizzo et dominus Comes de Comitibus et dominus Oddo de Medolado et dominus Azzo Ursonus et dominus Gaxapus de Vairano et dominus Dogninus de Giroldis et dominus Ribaldus Caput lupi et dominus Bernardus de Riboldis dominus Lafrancus Biaqua et dominus Oldefredus Advocatus et dominus Leonardus de Babo et dominus Oprandus de Giroldis et dominus Ugo de Summo et dominus Homobonus de Bozarro et dominus Wilielmus de Multisdenariis et dominus Guiciardus de Sancto Petro et dominus Gaiferinus de Iudicibus et dominus Rainerius de la Rocca et dominus Iohannes Amatus et dominus Guidotus de Ixo et dominus Illarius Hermenzonus et dominus Pontius Amatus et dominus Niger de Iudicibus et dominus Leonardus de Capellino et dominus Melius de Madegnano et dominus Girardus Malanox et dominus Gaynarus de Burgo et dominus Albertus de Medolatho et dominus Lodeharengus Ottonum et dominus Guilielmus de Dovaria et dominus Morinus de Medolatho et dominus Iohannes de Scatia et dominus Guilielmus Salvaticus et dominus Iohannes Dodhonus et dominus Pelegrinus Ardengus et dominus Bellengerius Marianus et dominus Gufredus de Lacu et dominus Henricus de Tincto et dominus Egidius de Curtesiis et dominus Conradus de Burgo et dominus Albertus de Reghizo et dominus Ottolerius Hermezonus et dominus Omnebonus Deviciolis et dominus Albertus Guazonus et dominus Manfredus Rontius et dominus Mussus Branca et dominus Angelerius Caput et dominus Andreas Giroldus et dominus Osbertus de Labucia et dominus Ugo Cornareticus et dominus Dodho Dodonus et dominus Ostaccus de Medolato et dominus Guiciardus de Piscarolo et dominus Martinus de Gaidesco et dominus Petrus de Suspiro et dominus Guilielmus Amatus et dominus Inforzatus Vesdominus et dominus Bellottus de Tezano et dominus Egidius Ursonus et dominus Bergnagata de Cove et dominus Otto de Bernardis et dominus Guazo Dodhonus et dominus Dogninus de Giroldis et dominus Lombardus Guazonus et dominus Girardus Manaria et dominus Marinus de Bellotis et dominus Dogninus Bursonus et dominus Comes de Grimono et dominus Ribaldus Diviciolus et dominus Guidottus de Faxolo et dominus Martinus de Lacella et dominus Conradus Coparius et dominus Conradus de Summo et dominus Bosius de Giroldis et dominus Martinus Cremosianus et dominus Albertus de Belloto et dominus Lodoysius Biaqua et dominus Oddo de Persico et dominus Umbertus Malanox et dominus Ayroldus Ravanensis et dominus Bocardus Rubeus et dominus Torisendus de Giroldis et dominus Albericus de Seregnano et dominus Iacobus Schicia et dominus Domasellus Caput et dominus Illarius de Riboldis et dominus Guilielmus Talamacius et dominus Bocardus Casalascus et Conradus de Zanebonis et dominus Albertus Sansumnus, sacramento corporaliter prestito, iuraverunt per sancta Dei evangelia stare et obedire omnibus mandatis domini Pape, nominatim de excommunicatione quam dominus Papa fecerat vel fieri fecerat per mutinensem episcopum contra ipsos, pro facto abatis sancti Sixti super facto Guastalle et Luzarie, et attendere in omnibus et observare composicionem quam Iohannes Bonus nuncius Cremone fecerat cum predicto abbate sancti Sixti in presentia domini Pape, sicut continebatur in litteris eiusdem domini Pape sigillo plumbeo bollatis, et in suprascripta credentia a prefacto domino Frederico archidiacono publice lectis. Tenor cuius sacramenti ibi fuit lectus a prefacto domino Frederico archidiacono, ut continebatur in quoddam pubblico instrumento facto a Manfredo notario.

† Ego Iohannes notarius domini Henrici regis interfui et me subscripsi.

† Ego Ambrosius de Rainerio sacri palacii notarius interfui et precepto infrascripti domini Frederici archidiaconi hanc cartam scripsi.

29. — 1205 (1204 *inc.*), *ian.* 30, *VIII*, *Cremonae. A*, 99 *e* 182 *e aut.*

Lotharius Braga, canonicus maioris ecclesiae, et consules Cremonae constituunt suum missum Frogerium Botacium ad

solvendas 140 libras imper. abbati S. Sixti pro concordio inito a comuni Cremonae cum ipso abbate, et ad securitatem faciendam de solvendis 20 libris praefato abbati omni anno donec imperator fuerit incoronatus a Papa, atque ad rogandum consules et consilium Regii ut dent eidem Frogerio fideiussores.

30. 1205 (1204 *inc.*), *febr.* 2, *VIII. A*, 2 *e aut.* Affò, *Storia di Guastalla, I,* 358.

Gandulfus, abbas monasterii S. Sixti, consensu prioris sui Petri, recipit a Frogerio Botacio, nomine communis Cremonae et Lotherii Bragae, 160 libr. imp., videlicet 320 bonorum infortiatorum, pro compositione facta inter praedictum abbatem et Cremonenses et dilationem eis datam.

31. — 1205 (1204 *inc.*), *febr.* 2, *VIII, Regii. A*, 3 *e aut.* Affò, *op. cit. I,* 358.

Promissio facta per 'abbatem S. Sixti Frogerio Botacio, quod faciet maiorem partem suorum fratrum firmare receptionem 320 librarum imperialium infortiatorum, quas habuerat a praedicto Frogerio.

32. — 1205, *id. id. A*, 96 *e aut.* Affò, *op. cit.* 359.

Frogerius Botacius promittit, nomine communis Cremonae, Gandulfo abbati S. Sixti quod comune dabit ei vel suis successoribus omni anno in festo S. Michaelis 20 libr. imper. donec imperator fuerit coronatus, pro compositione et dilatione data.

33. — 1205 (1204 *inc.*), *febr.* 6, *VIII, Parmae. A*, 97 *e aut.* Affò, *op. cit. I,* 359.

Gandulfus abbas nonnullique fratres et clerici et conversi monasterii S. Sixti de Placentia firmant compositionem factam ab ipso abbate cum Iohanne Bono, nuncio Cremonae, coram Innocentio III, et compositionem cum Frogerio Botacio, nuncio Cremonae et Lotherii Bragae; similiter firmant acceptionem denariorum 320 librarum bonorum infortiatorum quas solvit praefatus Frogerius.

34. — 1205, *sept.* 30, *VIII, in palatio Regii. A*, 98.

Gandulfus, abbas S. Sixti, confitetur accepisse a nuncio Cremonae 40 libr. bon. infort. pro compositione super facto Guastallae et Luciariae.

35. — 1209, *oct.* 13, *d. Laterani. A*, 348, *e altro ap.* Böhmer, *op. cit.* 629.

Innocentius III exhortatur Octonem imperatorem quatinus abbati et fratribus S. Sixti auxilium praestet ad recuperandas curtes Guastallae et Luciariae contra Cremonenses.

36. — 1215, *apr.* 6, *d. Laterani, a.* 18. *Ap.*

Innocentius III abbatem S. Stephani Bononiae legatum suum in causa Girardi Guielmi contra Pandecampum archipresbyterum mutinensem et quosdam alios mutinenses super quadam summa pecuniae constituit.

37. — 1215, *oct.* 15, *III, Mutinae in porticu domus canonicorum. Ap.*

Pandecampus, archipresbyter Mutinae, constituit Petrum de Suzedo canonicum procuratorem suum in causa quam sperat sibi moveri a Guielmo Giraldo coram abbate S. Stephani de Bononia.

38. — 1216, *ian.* 21, *IV, Bononiae in monasterio S. Stephani. A*, 177 *e altri ap.*

Abbas S. Stephani archipresbiterum Mutinae, tanquam contumacem in causa cum Guielmo Girardo, vinculo excommunicationis innodat.

39. — 1216, *ian. mad.* (*senza data*).

Litterae abbatis S. Stephani de Bononia quibus praecipit episcopo mutinensi ut excommunicatum denunciet Pandecampum archipresbiterum.

40. — 1216, *ian. mad.* (*senza data*).

Litterae mutinensis episcopi abbati S. Stephani quibus nunciat excommunicavisse Pandecampum et Iacomum de Richelmo.

41. — 1216, *mad.* 21, *IV*, *Bononiae in monasterio S. Stephani. Ap.*

Sententia lata per Azonem, abatem S. Stephani, qua condemnat Pandecampum archipresbiterum in praestacione 8 librarum Bononiae Guillelmo Girardo.

42. — 1217, *ian.* 18, *d. Laterani, a.* 1. *A*, 186, 349.

Honorius III constituit priorem de Columbario et archipresbiterum Mutinae, iudices delegatos in causa Gandulfi abbatis S. Sixti contra Cremonenses, qui, post incoronationem Ottonis, solutionem 20 librarum singulis annis cessaverant.

43. — 1217, *mad.* 5, *V*, *in palacio novo Cremonae. A*, 121 *e aut.*

Raimondus Hugonus potestas constituit Umbertum Bugnam procuratorem Cremonae ante priorem de Columbario et archipresbiterum Mutinae, ut videat et audiat commissionem eis factam a pontifice de lite quae debet verti inter Cremonam et abbatem S. Sixti.

44. — 1217, *mad.* 8, *V*, *Mutinae. A*, 127 *e aut.*

Pandecampus archipresbiter et prior de Columbario in concordia statuunt terminum peremptorium Uberto Bugnae, ut potestas Cremonae per se vel per legitimum responsalem quinto die intrante iunio proximo coram eis se repraesentet. (Notario Iac. de Ralucto).

Id. id. in canonica S. Geminiani, Mutinae. A, 127, 304 *e aut.*

Iidem eidem praedicta praecipiunt. (Notario Bertolomeo Suzi).

45. — 1217, *iun.* 3, *V*, *in palatio novo Cremonae. A*, 123 *e aut.*

Manfredus Strusius a Raimundo de Ugonibus potestate, nuncius constituitur ad eum repraesentandum ante priorem de Columbario et archipresbiterum Mutinae.

46. — 1217, *iun.* 6, *V*, *Mutinae in canonica S. Geminiani. A*, 124 *e aut.*

Prior de Columbario et archipresbiter in comuni concordia pronuntiant quod comune Cremonae ad terminum peremptorium sibi praefixum non venit ad praesentiam eorum nec responsalem transmisit.

47. — 1217, *iun.* 9, *V*, *in palacio novo Cremonae. A*, 125 *e aut.*

Raimundus Hugonus potestas, in pleno consilio et voluntate eius, facit Manfredum Strusium sindicum comunis ad placitum sive litem cum abbate S. Sixti.

48. — 1217, *aug.* 25, *V*, *Mutinae in canonica S. Geminiani. A*, 115, 235 *e aut.*

Manfredus Strusius, sindicus Cremonae, eligit suum arbitrum Normannum de Novis, et Gandulfus abbas S. Sixti Rolandinum de Gomula canonicum Mutinae, ad cognoscendum et definiendum causas suspicionis et recusationis a dicto Manfredo contra iudices delegatos a papa Honorio prolatas.

49. — 1217, *aug.* 25, *V*, *Mutinae. A*, 116, 236 *e aut.*

Prior de Columbario et archipresbiter Mutinae constituunt terminum sindico, hinc ad decem dies, ad proponendas exceptiones quascumque propositurus est, et ad kalendas octobris proximi ad probandas eas.

50. — 1217, *sept.* *(senza data)*.

Causae suspicionis contra iudices prolatae a predicto sindico Cremonae.

51. — 1217, *sept.* 6, *V*, *Mutinae.*

Rolandinus et Normannus arbitri, Manfredo Strusio sindico Cremonae dant terminum ostendendi testes ad probandum causas suspicionis contra iudices in die 28 septembris.

52. — 1218, *sept.* 28, *d. Laterani, a.* 3. *A*, 350.

Honorius III priori de Columbario et archipresbitero Mutinae mandat quati-

nus, si Cremonenses eis non exhibeant copiam litterarum quibus decisioni causae inter Cremonam et abbatem S. Sixti adiungitur episcopus Brixiensis absque praesentia cuius causa indecisa est, illis non obstantibus in negotio ipso secundum priorum litterarum continentiam procedant.

53. — 1218, *sept.* 30, *VI. Ap.*

Epistola ministri S. Stephani Bononiae ad archipresbiterum S. Geminiani Mutinae ut, ex sententia a se lata, Girardo satisfaciat si ab excommunicatione solvi vult.

54. — 1219, *febr.* 27, *d. Laterani. Dall'*Affò, *St. di Guastalla I*, 361.

Litterae Honorii III ad Hugolinum episcopum Hostiensem et legatum apostolicum quatinus Cremonensibus et abbati S. Sixti terminum praefigat ad comparendum coram pontifice.

55. — 1219, *VII, d. Bononiae. A*, 215.

Litterae abbatis S. Stephani ad praepositum ac capitulum Mutinae quibus denuo denunciat Pandecampum archipresbiterum excommunicatum et ab officio suspensum.

Mad. 4. *A*, 216.

Hae litterae dantur praeposito Mutinae.

56. — 1220, *mad.* 15, *d. Viterbii, a.* 4. *A*, 187, 351, 354.

Bulla Honorii III ad abbatem S. Benedicti supra Padum et priorem de Columbario et archipresbiterum Mutinae, qua Brixiensi episcopo, profecto in subsidium terrae sanctae, subrogat abbatem S. Benedicti iudicem in causa inter Cremonenses et abbatem S. Sixti de Placentia.

57. — 1220, *iun.* 20, *VIII, Placentiae in maiori ecclesia. A*, 376 *e* 377.

Exemplum et autenticatio, iussu consulum iustitiae Placentiae et ad postulationem Monasterii S. Sixti, de instrumento donationis factae per comitissam Matildem praedicto monasterio de curte et castro Wardestallae sub anno 1102, iun. 4, X.

58. — 1220, *iun.* 29, *VIII, Mutinae. A*, 113, 242 *e aut.*

Pandecampus, archipresbiter Mutinae, consensu abbatis S. Benedicti supra Padum et prioris de Columbario, constituit Guidonem de Camiliazo suum nuncium in dando litteras potestati Cremonae ex parte ipsorum in causa inter Cremonenses et abbatem S. Sixti.

59. — 1220, *iul.* 1, *VIII, in palacio Cremonae. A*, 114, 261 *e aut.*

Guido de Camiliazo dat litteras prioris de Columbario, abbatis S. Benedicti et archipresbiteri mutinensis, Uberto de Parma iudici potestatis Cremonae, quibus praecipiunt ut potestas veniat vel mittat Mutinam coram ipsis ad satisfaciendum de iure in causa cum abbate S. Sixti.

60. — 1220, *aug.* 4, *VIII, Brixiae in ecclesia S. Mariae. A*, 239 *e aut.*

Guido de Camiliacio dat litteras potestati Cremonae quibus prior de Columbario, abbas S. Benedicti et archipresbiter Mutinae iterum praecipiunt eidem ut veniat vel Mutinam mittat post 15 dies.

61. — 1220, *aug.* 8, *d. apud Urbem veterem, a.* 5. *Ap.*

Honorius III praecipit priori S. Victoris et S. Iohannis in monte Bononiensi et magistro P. Paparoni canonico neapolitano quatinus causam inter Guilielmum Girardum pauperem diaconum et Pandecampum terminent.

62. — 1220, *aug.* 20, *VIII, Mutinae. A*, 241 *e aut.*

Abbas S. Benedicti, prior de Columbario et archipresbiter Mutinae statuunt terminum peremptorium potestati et comuni Cremonae decem dierum, postquam litterae citatoriae sint datae.

63. — 1220, *aug.* 21, *VIII, Parmae. A*, 240 *e aut.*

Guido de Camiliazo it ad porrigendas litteras abbatis S. Benedicti, prioris de Columbario et archipresbiteri Mutinae po-

testati Cremonae, ut Mutinam veniat vel mittat decima die post litterarum repraesentationem.

64. — 1220, *aug.* 31, *VIII, Mutinae sub porticu canonicae S. Laurentii.*

Praedicti iudices potestatem et comune Cremonae contumaces interloquendo pronuntiant, sed dicunt differre ad poenam iniungendam.

65. — 1220, *oct.* 7, *VIII, in canonica maiori Mutinae. Ap.*

Nuncius abbatis S. Benedicti supra Padum praesentat litteras archipresbitero mutinensi et priori de Columbario, quibus abbas declarat interesse non posse in termino causae monasterii S. Sixti et Cremonensium.

66. — 1220, *id. id.*

Archipresbiter Mutinae et prior de Columbario dicunt se paratos esse audire nuntios Cremonae si mandatum ostendissent; hi tantum dilationem petebant.

67. — 1220, *id. id. A*, 108. Affò, *St. di Guastalla I*, 361.

Archipresbiter et prior excommunicant potestatem et consilium, et totam civitatem Cremonae supponunt interdicto, tamquam contumaces, et condemnant ad solvendum abbati S. Sixti 10 libras imper. pro expensis factis.

68. — 1220, *oct.* 12, *IX, Cremonae in palatio episcopi. A*, 151, 244, 318.

Nuncius Pandecampi et Rustici prioris dat litteras Homobono episcopo Cremonensi, quibus ei iniungunt ut consilium et potestatem excommunicatos et civitatem et suburbia supposita interdicto publice denuntiet.

69. — 1220, *nov.* 12, *IX, Cremonae in claustro maioris ecclesiae super pontile eiusdem claustri. A*, 117, 245.

Prior de Columbario et archipresbiter Mutinae per litteras quas eorum nuncius dat archidiacono cremonensi, praecipiunt ei ut observet et faciat observare excommunicationem et interdictum.

70. — 1220, *dec.* 7, *VIII, Mutinae. A*, 109.

Rusticus, prior de Columbario, delegat Pandecampo vices suas in absolutione excommunicationis facienda communi Cremonae et super facto condemnationis expensarum.

71. — 1220, *id. id. A*, 110.

Iohannes Stradivertus, sindicus Cremonae, et abbas S. Sixti consentiunt in Pandecampum ut procedat in causa pro se et priore de Columbario super absolutione et condemnatione expensarum.

72. — 1220, *dec.* 14, *VIII, Mutinae in ecclesia S. Cataldi. A*, 111, 194.

Pandecampus confitetur quod expensa facta occasione adventus I. Stradiverti, nuncii Cremonae, fuerant 12 librae imper.

73. — 1220, *dec.* 18, *VIII, Mutinae. A*, 179.

Prior de Columbario et archipresbyter Mutinae, visa contumacia et protervitate comunis Cremonae, pronuntiant abbatem S. Sixti mittendum esse in possessionem Guastallae et Luzariae, et nuntium ei dant ad hoc exequendum.

† In Christi nomine. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo vigesimo, indictione octava, die veneris decimoquarto exeunte decembre.

Nos Rusticus prior de Columbario, et Pandecampus mutinensis archipresbiter, iudices delegati a domino Papa, recepta litteratoria excusatione a domino abbate sancti Benedicti supra Padum coniudice nostro quod interesse non poterat, visa et cognita contumatia et protervitate potestatis Cremonensium et communitatis, qui quadam simulatione dolositatis simulaverunt se velle iuri parere mittentes sindicum cum publico instrumento sui sindicatus, postulantem absolutionem excomunicationis et interdicti pro cremonensi potestate et communi, tandem habita deliberatione et prudentum virorum consilio, unus nostrum de consensu aliorum accessit ad civitatem Cremone eo quod comodius videbatur per eum posse negocium expediri. Cumque peteret a potestate et eius consiliariis debitam satisfactionem exiberi, dicti potestas et consiliarii in sua protervitate perseverantes debitam satisfactionem secundum formam ecclesie exibere contempserunt. Visis igitur et intellectis rationibus predictorum, habitoque super hoc prudentum consilio et quia agebatur reali et personali actione

coram nobis, pronuntiamus dominum abbatem monasterii sancti Systi placentini, nomine eiusdem monasterii, mittendum esse in possessionem, causa rei servande, ut tedio effecti veniant secundum formam iuris responsuri de duabus curtibus et castris et pertinentiis scilicet Guastalla et Luzaria, secundum formam in libello petitorio comprehensam, et damus ei nuncium nostrum Blancum nomine ad ipsum abbatem vel eius nuncium mittendum in possessionem de predictis et ipsum Blancum nostrum nuncium et procuratorem constituimus ad hoc exequendum.

Actum Mutine in canonica sancti Cataldi feliciter.

Presentibus et rogatis testibus domino Alberto Papiensi, magistro Ardizone, domino Medio vilano mutinensium magistro scolarum, presbitero Bono de Camiliatio, Rodulfino de Casola, Bartolomeo notario, domino Uberto de Porta placentina, Guidetto de Runcallis, et Albertino Iohanne Beraldeschi, et aliis.

† Ego Ferracaballus sacri pallatii notarius interfui et iussu predictorum iudicum scripsi.

74. — 1220, *id. id. A*, 191.

Abbas S. Sixti constituit fratrem suum presbiterum Bonum de Camiliazo suum procuratorem ad accipiendam tenutam de castro et curtibus Guastallae et Luzariae.

75. — 1220, *dec.* 20, *VIII, Luzariae. A*, 228.

Procurator prioris et archipresbiteri tradit nuncio abbatis S. Sixti possessionem de terra et porta castellarii sive munitionis Luciariae, nomine totius curtis.

76. — 1220, *dec.* 21, *VIII, Guastallae. A*, 269.

Idem dat nuncio abbatis tenutam per portam castri Guastallae de ipso castro nomine totius curtis.

77. — 1220-21, (*senza data*). *Ap.*

Testimonium Azonis abbatis S. Stephani de Bononia, quod absolverat ab excommunicatione Pandecampum et postea admiserat Petrum de Suzedo, mutinensem canonicum, ut legitimum eius procuratorem in tota causa.

78. — 1220-21, (*senza data*). *Ap.*

Raimundus, abbas Nonantulanus, et prior de Columbario iudices delegati ab Honorio III, falsum denuntiant et dicunt instrumentum quod Guilielmus Girardus introduxit in causa coram abbate S. Stephani Bononiae contra Pandecampum.

79. 1220-21, (*senza data*). *Ap.*

Honorius III per litteras praecipit abbati Nonantulano et priori de Columbario quatinus sententiam latam ab abbate S. Stephani contra Pandecampum infirment, quum falsum iudicassent instrumentum quod G. Girardus allegaverat.

80. — 1220-21, (*senza data*). *Ap.*

Girardus, canonicus plebis S. Nazarii de Albareto, mutinensis diocesis, subdelegatus a praedictis iudicibus infirmat et cassat sententiam abbatis S. Stephani, condemnat Girardum tamquam contumacem et postea excommunicat.

81. — 1221 (1220 *inc.*), *ian.* 5, *IX, Cremonae. A*, 130, 300 *e aut.*

Litterae Rustici prioris et Pandecampi archipresbiteri ad potestatem et consilium Cremonae, datae potestati ante ianuam maioris ecclesiae, quibus nunciant dedisse abbati S. Sixti possessionem curtium Guastallae et Luzariae rei servandae causa.

82. — 1221 (1220 *inc.*), *ian.* 23, *IX, in Carpio. A*, 210 *e aut.*

Pandecampus archipresbiter pecuniae summam, quo Cremonam veniat ad extrahendam eam de excommunicatione et interdicto, repetit a Iacopo Scarcosio, ambaxatore Cremonae, pro expensis factis et facturis, et Iacopus eam solvit.

83. — 1221 (1220 *inc.*), *febr.* 1, *IX, in palatio Cremonae in pleno consilio. A*, 213 *e aut.*

Pandecampus dicit quod non extrahet commune de excommunicatione nisi prius haberet 24 libras imper. quas commune debet dare abbati S. Sixti pro expensis in placito factis.

84. — 1221, *id. id. A*, 189 *e aut.*

Iacopus Scarcosius creatur sindicus communis ad placita cum monasterio S. Sixti.

85. — 1221, *id. id. A*, 190 *e aut.*

Pandecampus extrahit de excommunicatione et interdicto comune et restituit Vallotto iudici et vicario potestatis tenutam Guastallae et Luzariae et praecipit I. Scarcosio sindico ut eat et intret in tenutam de dictis locis.

86. — 1221 (1220 *inc.*), *feb.* 2, *IX*, *Cremonae. A*, 212 *e aut.*

Pandecampus accipit in deposito a massario comunis 24 libras imper. et promittit quod restituet denarios quos non probaretur ab abbate S. Sixti expendidisse rationabiliter in habenda tenuta Guastallae et Luciariae.

87. — 1221 (1220 *inc.*), *mart.* 7, *IX*, *Cremonae. Ap.*

Exemplum litterarum abbatis S. Benedicti ad priorem de Columbario et archipresbyterum Mutinae, quibus vices suas committit fratri Riccardo.

88. — 1221, *mart.* 8, *IX*, *in claustro canonicae de Carpo. A*, 231, 259 *e aut.*

Praeceptum factum per Pandecampum et Rusticum et delegatum abbatis S. Benedicti Petrobono cremonensi, ut sindicus Cremonae coram duobus primis se repraesentet eodem die, apud Mutinam.

89. — 1221, *mart.* 9, *IX*, *Mutinae. Ap.*

Exemplum epistolae Pandecampi ad priorem de Columbario et ad delegatum abbatis S. Benedicti, qua declarat non posse interesse in causa.

90. — 1221, *id. id. Aut. ed A*, 112, 197 *e* 252. (*In quest'ultimo numero manca il libello di Gandolfo*).

Gandulfus, abbas S. Sixti, Rustico et delegato ab abbate S. Benedicti libellum dat, quem afferunt sindico Cremonae, et dant ei dilationem ad proponendas omnes exceptiones et ad deliberandum super libello usque ad diem iovis post quintum decimum diem Paschae proximum, praecipientes ut in termino dicto apud Bersellum se repraesentet.

91. — 1221, *id. id.* (*senza data*).

Libellus abbatis S. Sixti quo a comuni Cremonae petit ut restituat fructus possessionis duarum partium curtis Guastallae perceptos a 27 annis citra usque ad tempus compositionis factae mediante Innocentio III et a tempore coronationis Ottonis citra; itemque petit duas praedictas partes et etiam aliam tertiam et totam curtem Luciariae.

92. — 1221, *id. id.* (*senza data*).

Brevis notula de privilegiis, instrumentis concessionum et locationum et depositionibus testium (1204) prolatis ab abbate S. Sixti ad demonstrandum quod Guastalla et Luciaria sunt de proprietate monasterii S. Sixti.

93. — 1221 (1220 *inc.*), *id. id.* Ficker, *op. cit.*, *II*, 312, *con data* 1220, 7 *marzo.*

Sindicus Cremonae dicit et denunciat expressim accepisse libellum eo pacto quod non afferat praeiudicium communi Cremonae; item dicit de termino statuto, de iudicibus quos non recognoscit ut tales; petit praeterea ut amoveantur a causa Arditio assessor et Ferracaballus notarius, et quod abbas S. Sixti reddat instrumenta excommunicationis et condemnationis et tenutae datae, quae Gandulfus recusat facere.

94. — 1221, *apr.* 29, *IX*, *in monasterio Berselli. A*, 132, 192, 326 *e aut.*

Exceptiones dilatoriae quas proponit sindicus Cremonae contra archipresbyterum mutinensem, priorem de Columbario, et ipsum abbatem S. Sixti.

✝ Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo vigesimo primo, indictione nona, die secundo exeunte aprile, in monasterio Berselli, presentia dominorum Filippi archipresbiteri Guastalle et Don Ricardi et Don Conradi, monacorum sancti Benedicti, et Albrici Tallamacii et Nicolai de Bredellis et Ottatii correrii, ibi testium.

In primo propositum fuit per dominum Iacopum Scarcosium, sindicum comunis Cremone et nomine ipsius comunis, coram domino Azone, abbate sancti Benedicti supra Padum, et domino Pandecampo, archipresbitero Mutine, et domino Rustico, priore de Columbario, quod omnia que propone-

bat et que dicebat et que dicturus erat per se vel per alium, dicebat et protestabat, quod faciebat sine preiudicio sui et comunis Cremone, non consenciendo in ipsos tanquam in iudices nec in iurisdictionem ipsorum, cum ipse non sit nec comune Cremone de foro ecclesie sed imperii; et, salva hac exceptione, post multa verba proposuit exceptiones in hunc modum.

Has exceptiones dilatorias proponit sindicus Cremone.

Dicit enim rescripta esse falsa, et si reperirentur esse vera, dicit non esse impetrata per legiptimam personam, et si reperiretur esse impetrata per legiptimam personam, dicit esse impetrata per mendacium et tacita veritate et subgesta falsitate. Item dicit archipresbiterum Mutine esse et fuisse semper a tempore rescripti et rescriptorum excomunicatum, esse et semper stetisse in excomunicatione usque nunc. Item dicit dictum archipresbiterum et priorem de Columbario esse removendos ut suspectos, et eos ut suspectos dicit propter familiaritatem et amicitiam quam habent cum abbate sancti Systi et propter parentellam et parentellas quam habent cum suprascripto abbate, et quia ille, qui dicit se abbatem sancti Systi esse, est mutinensis natione et maximas parentellas habet in ipsa civitate, et ecclesiam sive ecclesias habet monasterium sancti Systi in ipsa civitate et possessiones magnas. Item dicit archipresbiterum Mutine decepisse comune Cremone in multis, et specialiter accipiendo pecuniam a comuni Cremone, promittendo se facturum certum quid dicto comuni, quod non fecit. Item dicit illum qui agit vel qui agere vult non esse abbatem sancti Systi, et si reperiretur ipsum esse abbatem, dicit ipsum fuisse excomunicatum et esse semper fuisse a tempore rescriptorum impetratorum. Item dicit ipsum non habere amministrationem sancti Systi, nec de voluntate nec consensu fratrum dicti monasterii agere. Item dicit quod comune Cremone non debet respondere sub eis, cum actor debeat sequi forum rei. Item dicit adversarium esse iudicem et fuisse archipresbiteri vel prioris vel utriusque. Et omnia suprascripta dixit, salvo eo quod non volebat consentire in iudice.

† Ego Petrus Bonus de Bredellis, notarius sacri pallatii, interfui et hanc cartam scripsi.

95. — 1221, *apr.* 29, *IX, in monasterio Berselli. A*, 193 *c aut.*

Propositis exceptionibus et recusationibus a I. Scarcosio, Pandecampus dicit et protestatur fore inimicum mortalem Cremonae et sindici; et venit contra eum et vult eum percutere.

Predicto vero die et anno et loco et indictione et in presentia dictorum testium.

Propositis dictis exceptionibus et recusationibus, et lectis coram domino abbate sancti Benedicti suprascripti et Rustico priore de Columbario et domino Pandecampo archipresbitero mutinensi a domino Iacopo Scarcosio sindico comunis Cremone et nomine ipsius comunis; dixit et protestatus fuit dominus Pandecampus, archipresbiter Mutine, se de cetero fore mortalem inimicum comunis Cremone et dicti sindici, et inter hec verba surrexit et venit contra eum et voluit eum percutere; et insuper dixit ei minandum: si veneris Mutinam..... in eius districtu faciam te verberari usque ad necem.

† Ego Petrus Bonus de Bredellis notarius sacri pallatii interfui et hanc cartam scripsi.

96. — 1221, *apr.* 30, *IX, Berselli. A*, 227, 327 *c aut.*

Iudices praecipiunt I. Scarcosio et abbati S. Sixti ut post 17 dies cum arbitris apud Regium veniant, et Scarcosio ut paratus sit probare exceptiones.

97. — 1221, *mad.* 17, *IX, Regii, in palatio episcopi. A*, 152 *c aut.*

Sindicus Cremonae petit novam dilationem ad probandas exceptiones veteres et novas quas proponit contra Pandecampum; de hoc petit ut arbitri soli deliberent, vel habeant consilium non suspectum.

98. — 1221, *id. id. A*, 153 *c aut.*

Abbas S. Sixti dicit dilationem non esse dandam, quam petit sindicus, et de hoc petit interlocutionem ab arbitris electis.

99. — 1221, *id. id. A*, 154, 328 *c aut.*

Arbitri, videlicet Ugo canonicus cremonensis et Albertus de Buvalotto canonicus plebis de Baioaria, dicunt quod volunt habere consilium de probationibus coram eis propositis admittendis necne, et de termino statuendo sindico.

100. — 1221, *id. id. A*, 154, 328 *c aut.*

Arbiter A. Buvalotti dicit quod paratus erat habere consilium cum sapientibus Regii et denunciat sindico Cremonae ut debeat exhibere probationes quas habet.

101. — 1221, *id. id. A*, 184 *c aut.*

Ugo arbiter vult habere consilium, sed non reginum, quod habetur suspectum

per sindicum Cremonae; contra alter arbiter dicit se velle habere consilium sed reginum tantum.

102. — 1221, *id. id. A.* 226 *c aut.*

Iacopus Scarcosius, coram arbitris, dicit se paratum esse docere de iure suo et omnia facere quod debebat de iure.

103. — 1221, *mad.* 19, *IX, Mutinae. A,* 219, 229, 337.

Abbas S. Sixti constituit presbyterum Bonum suum nuncium usque ad contestationem litis.

104. — 1221, *mad.* 22, *IX, Mutinae. A,* 155.

Presbyter Bonus de Camiliazo dat litteras Alberto de Baioaria arbitro, quibus abbas S. Benedicti, prior de Columbario et archipresbyter Mutinae, praecipiunt duobus arbitris quatinus infra 30 dies procedant super probatione recusationis iudicum, quod facere negligebant.

105. — 1221, *mad.* 24, *IX, Cremonae. A,* 329 *c aut.*

Eaedem litterae dantur Ugoni canonico cremonensi et arbitro.

106. — 1221, *mad.* 29, *IX, Mutinae. A,* 206 *c aut.*

Epistola Ugonis de Comitibus cremonensis ad iudices, per nuncium archipresbitero Mutinae datur, qua causas declarat propter quas res indiscussa et indeterminata remansit et significat paratum esse procedere in hoc negotio, idemque significare coarbitro.

107. — 1221, *mad.* 29, *IX, Mutinae. A,* 223.

Eadem epistola datur priori de Columbario.

108. — 1221, *id. id.*

Nuncius Ugonis de Comitibus porrigit epistolam Alberto de Baioaria, qua significat paratum esse post 10 dies accedere Parmam vel Bersellum, quacumque die Albertus voluerit, ut in negotio procedant.

109. — 1221, *mad.* 30, *IX, Mutinae. A,* 156 *c aut.*

Responsum Alberti praedicto Ugoni, quo nunciat octavo die intrante mense iunii Parmam se accessurum esse, datur nuncio Ugonis.

110. — 1221, *iun* 9, *IX, Parmae. A,* 208 *c aut.*

Arbitri, viso instrumento procurationis presbyteri Boni ab abbate S. Sixti, pronunciant talem procurationem non esse admittendam, et quod nolunt aliquid audire vel recipere a sindico Cremonae altera parte absente.

111. — 1221, *id. id. A,* 336 *c aut.*

Presbiter Bonus dicit arbitris quod paratus erat dare eis securitatem in Parma quod abbas et capitulum S. Sixti habebunt ratum quicquid ipse fecerit, et si hoc nollent facere paratus erat ire pro abbate et ipsum ducere coram eis sine mora.

112. — 1221, *id. id. A,* 205, 336 *c aut.*

Albertus de Baioaria denuntiat Ugoni quod volebat, si ei placeret, mittere pro abbate S. Sixti ut se repraesentet ante ipsos, et interim sindicus Cremonae Parmae remaneat; quod Ugo non vult facere sed dicit paratum esse statuere terminum competentem ad quem venirent partes.

113. — 1221, *id. id. A,* 330 *c aut.*

Albertus de Baioaria denuntiat sindico quod debeat super exceptionibus ab eo propositis procedere et allegare.

114. — 1221, *id. id. A,* 331 *c aut.*

Albertus arbiter, coram Ugone et Albrico legum doctore, praeposito S. Egidii et magistro Nazario ambaxatoribus Cremonae, denuntiat quod cum sindicus Cremonae nolit coram se comparere quod ipsi sapientes vel sindicus debeant exceptionum probationes inducere.

115. — 1221, *iun.* 10, *id. A,* 209 *c aut.*

Ugo de Comitibus denuntiat Alberto de Buvalotto quod paratus erat statuere

terminum ad quem partes iterum se repraesentent; quod Albertus omnino facere recusat.

116. — 1221, *id. id. A*, 332 *e aut.*

Gandulfus abbas dicit Ugoni Comitis quod paratus erat, coram arbitris, ad defendendum se ab exceptionibus propositis a sindico Cremonae, et Ugo respondet quod non credebat sindicum adesse Parmae.

117. — 1221, *id. id. A*, 333 *e aut.*

Gandulfus denuntiat sindico Cremonae quod habebat arbitrum suum Albertum paratum ad audiendas et cognoscendas probationes quas vellet proferre.

118. — 1221, *id. id. A*, 334 *e aut.*

A. de Baioaria denunciat Iohanni de Bertamata et eius domui, in qua hospitatus erat sindicus Cremonae, quod dicat ei quod veniat coram se, quia paratus erat ad cognoscendas probationes de exceptionibus.

119. — 1221, *id. id. A*, 335 *e aut.*

Ugo venit cum sapientibus Cremonae ad hospitium de Rizardo, in quo hospitatus erat abbas et eius arbiter, et dicit ut statuant terminum sindico ad se repraesentandum. Arbiter respondit: veniat sindicus quia non est hic persona qui possit ita dicere nec cui terminus possit dari.

120. — 1221, *iul.* 2, *IX, Mutinae.*

Sindicus dat pignus, digestum unum novum in manu abbatis S. Benedicti pro X libris infort. cum pacto quod nihil faciat contra utilitatem Cremonae, nec faciet priorem de Columbario vel archipresbyterum mutinensem suos iudices.

121. — 1221, *iul.* 11, *IX, in episcopatu Bergamensi in loco Villae novae. A*, 237 *e aut.*

Litterae abbatis S. Benedicti, archipresbiteri Mutinae ac prioris de Columbario Redulfo de Noxia potestati Cremonae, ut tertia die post festum B. Iacobi proximum ad se Mutinam veniat vel saltem sufficientem et honestum responsalem mittat, dantur in manu praedicti potestatis.

122. — 1221, *iul.* 31, *IX, Mutinae.*

Iudices praecipiunt partibus ut debeant dare expensas ipsis iudicibus eadem die ad eundum pro habendo consilio super his quae proposita sunt coram eis, et die proxima sint parati ire cum eis.

123. — 1221, *id. id. Ap.*

Azo, abbas S. Benedicti, committit vices suas Guidoni monaco quousque causa fuerit instructa et remittenda papae.

124. — 1221, *id. id. A*, 214.

Prior de Columbario delegat vices suas magistro Arditioni, canonico S. Salvatoris mutinensis dioecesis.

125. — 1221, *aug.* 1, *IX, Mutinae. A*, 195.

Pandecampus delegat vices suas iisdem Guidoni et Arditioni ad petendum consilium.

126. — 1221, *aug.* 4, *Bononiae.*

Sindicus Cremonae protestatur quod nolebat quod Arditio et notarius Ferracaballus interessent consilio quia habebat eos suspectos.

127. — 1221, *id. id.* (*senza data ed indicazione di luogo*). *A*, 200 *e aut.*

Consilium magistri Gratiae arcidiaconi bononiensis et Papae capellani et Nunni hastoriensis arcidiaconi et magistri Tancredi bononiensis canonici: quod iterum concedatur terminus Cremonensibus ad probandas causas suspicionis, coram arbitris.

Consilium magistri Gratie arzidiaconi Bononie et domini Pape capellani, ac domini Nunni hastoriensis arzidiaconi et magistri Tancredi bononiensis canonici, tale est:

Quod Cremonenses iterum debeant habere terminum ad probandas causas suspectionis, coram arbitris electis a partibus, silicet domino Ugone de Comite, canonico cremonensi, et Alberto Buvalotti, canonico plebis de Baioaria; et si cause recusationis coram ipsis arbitris a Cremonensibus

proposite, non fuerint probate et questio diffinita ab arbitris ipsis usque ad terminum quem iudices ipsis partibus et arbitris predictis duxerint statuendum, ex tunc iudices ipsi in causa procedant non obstantibus recusationibus ipsis. Item dicunt quod si arbitri non fuerint concordes eligant tercium, ut stent duorum sententie; et si non convenerint de tercio, iudices dent ipsum tercium, et omnia predicta fiant et terminentur infra terminum supradictum. Item dicunt has de predictis exceptionibus pertinere ad cognitionem arbitrorum, scilicet utrum archipresbiter Mutine sit excomunicatus. Item exceptionem familiaritatis, amicitie et consanguinitatis, et id quod dicunt archipresbiterum Mutine decepisse commune Cremone, omnia predicta dicunt ad cognitionem arbitrorum pertinere. Preterea exceptionem falsitatis rescripti, et quia dicunt rescriptum non esse impetratum per legittimam personam, et litteras impetratas per falsi suggestionem et quia obicitur illum non abbatem sancti Systi et esse excomunicatum.

128. — 1221, *aug.* 5, *Mutinae.*

Sindicus protestatur quod sacramentum calumniae quod faciebat cum illo qui dicebat se abatem S. Sixti, faciebat eo modo quod non debeat nocere communi.

129. — 1221, *id. id.*

Sententia lata a Pandecampo Guidone et magistro Arditione quod sindicus Cremonae habeat terminum viginti dierum ad probandas causas suspicionis coram arbitris electis.

130. — 1221, *id. id.*

Iudices praecipiunt Scarcosio sindico ut infra 20 dies proximos probet quae probanda sunt; quod si non fecerit, tertia die post elapsum terminum se repraesentet coram eis apud Mutinam; idemque praecipiunt abbati S. Sixti.

131. — 1221 ? (*senza data*).

Litterae magistri Paparonis canonici neapoletani ad priorem S. Victoris et S. Iohannis in monte Bononiensi quibus ei committit vices suas in causa inter Guilielmum Girardum pauperem diaconum Bononiae et Pandecampum archipresbyterum Mutinae (V. 1220, aug. 8).

132. — 1221? (*senza data*).

Litterae praedicti prioris Sacerdotibus ad quos sua epistola fuerit deportata ut Pandecampum archipresbyterum excommunicatum publice denuntient.

133. — 1221 ? (*senza data*).

Eaedem litterae ad priorem S. Nicholai.

134. — 1221 ? (*senza data*).

Alia epistola eiusdem sententiae, paucis tantum adiectis, ad archipresbyterum carpensem.

135. — 1221 ? (*senza data*).

Responsum archipresbyteri praedicti.

136. — 1221, *aug.* 12, *IX, Cremonae. A*, 176 *e aut.*

Ugo de Comitibus mittit nuncium qui denuntiet Alberto de Baioaria et abbati S. Sixti ut die 18 mensis augusti debeant esse in civitate Parmae.

137. — 1221, *aug.* 14, *IX, Mutinae. A*, 204 *e aut.*

Nuncius praedicta praecipit Alberto de Baioaria.•

138. — 1221, *aug.* 19, *IX, Parmae.*

Positiones seu quaestiones sindici Cremonae contra Pandecampum, coram arbitris, cum responsionibus abbatis S. Sixti.

139. — 1221, *aug.* 20, *IX, Parmae. A*, 188 *e aut.*

Sindicus petit sententiam ab arbitris; hi vero abbati S. Sixti dicunt quod propositiones quas vellet proferat, sed ipse recusat; postea de electione tertii arbitri tractant.

140. — 1221, *id. id.*

Ugo dicit Alberto coarbitro suo quod volebat ire Mutinam.

141. — 1221, *id. id. A*, 178 *e aut.*

Sindicus constituit Girardum Anzolum suum procuratorem, coram Ugone et Alberto de Buvalotto arbitris vel etiam tertio si eligatur.

142. — 1221, *aug.* 21, *IX, Mutinae. A*, 188 *e aut.*

Ugo dicit Alberto quod videbatur sibi sufficienter esse probatum quod Pandecampus esset excommunicatus et decepisset comune Cremonae, quare paratus erat pronunciare sententiam vel habere consilium non suspectum; sed Albertus dissentit ab eo.

143. — 1221, *id. in monasterio S. Benedicti de Pado Lirone. A*, 198 *e aut.*

I. Scarcosius venit ante Azonem abbatem rogando et instando ut debeat venire ad alios suos coniudices.

144. — 1221, *aug.* 23, *IX, in palatio veteri episcopi mutinensis.*

Ugo Comitis interrogat advocatum abbatis S. Sixti et ipsum abbatem, si positiones facere volebant; ad quod respondent quod volebant.

145. — 1221, *id. id.*

Positiones seu quaestiones abbatis S. Sixti pro Pandecampo et contra Cremonenses, cum responsionibus sindici Scarcosii.

146. — 1221, *id. id.*

Abbas eiusque patronus, postquam quaestiones fecerant, rogant arbitros ut eas audiant.

147. — 1221, *id. id. A*, 225 *e aut.*

Pandecampus et Guido delegatus ab abbate S. Benedicti et Arditio a priore de Columbario adiungunt duobus arbitris tertium Petrum archipresbyterum de Succido et canonicum Bononiae.

148. — 1221, *aug.* 24, *IX, Mutinae. A*, 129, 267 *e aut.*

Bartolomeus Suzi denuntiat I. Scarcosio et Ugoni de Comite, ex parte Petri de Succido Alberti de Buvalotto Pandecampi et Ardicionis, quod se repraesentent coram eis.

149. — 1221, *id. id. A*, 129, 267 *e aut.*

Facta appellatione coram praedictis a sententia interlocutoria de tertio arbitro, sindicus Cremonae cum tota sua parte incontinenti et insalutatus recedit; tunc abbas eiusque advocatus petunt ab arbitris et iudicibus quod faciant sibi dari instrumenta de arbitris et iudicibus, quae lecta fuerant, ad exemplandum.

150. — 1221, *id. id. A*, 201, 249 *e aut.*

Bonus de Camiliazo ex parte iudicum et arbitrorum it ad petendum sindico Cremonae instrumenta; sed ille fugit et occultat se in domo.

151. — 1221, *id. id. A*, 199 *e aut.*

Sindicus Cremonae appellat ad sedem apostolicam a sententia iudicum de electione tertii arbitri, exemplumque huius appellationis dat Pandecampo Guidoni et Arditioni.

152. — 1221, *id. id. A*, 202, 250 *e aut.*

Iudices constituunt presbiterum Bonum ad denunciandum sindico, ambaxatoribus Cremonae et Ugoni arbitro quod parati erant revocare sententiam interlocutoriam et tertium arbitrum eligere non suspectum, et quod ipse sindicus debeat se repraesentare coram eis.

153. — 1221, *id. id. A*, 251 *e aut.*

Bonus praedicta nunciat.

154. — 1221, *sept.* 17, *IX, Cremonae. A*, 306 *e aut.*

Pandecampus iudex delegatus et Guido et Arditio subdelegati per nuncium dant litteras ad potestatem Cremonae, praecipientes ut in octava Beati Michaelis veniat vel mittat coram eis apud Mutinam.

155. — 1221, *oct.* 4, *X, Cremonae.*

I. Scarcosius facit Iohannem de Fana correrium procuratorem suum ad prosequendam apud apostolicam sedem causam appellationis.

156. — 1221, *oct.* 8, *IX, Mutinae. A*, 207 *e aut.*

Archipresbyter, prior de Columbario et Guido subdelegatus eligunt magistrum

Bernardum, archipresbyterum plebis de Nonantula, tertium arbitrum loco Petri de Suczido, et praefigunt arbitris terminum 15 dierum ut una conveniant.

157. — 1221, *id. id.*

Iudices praecipiunt abbati S. Sixti et I. Scarcosio ut secunda die post festum omnium Sanctorum se repraesentent apud Mutinam.

158. — 1221, *id. id. A*, 180 *e aut.*

Iudices praecipiunt sindico et abbati ut usque ad octavam diem proximam debeant habere arbitros in civitate Regii et dicunt quod ad ipsum terminum archipresbyter Nonantulae erit in eodem loco.

159. — 1221, *oct.* 17, *X, Regii. A*, 221 *e aut.*

Sindicus rogat instanter arbitros ut debeant insimul consiliari et ferre sententiam secundum quod allegatum erat sub ipsis; et arbitri, contra voluntatem Ugonis, praecipiunt sindico ut in die martis debeat esse ante ipsos ad Erberiam.

160. — 1221, *oct.* 20, *X, in castro Erberiae. A*, 222.

Arbitri statuunt habere consilium non suspectum; sed, non consentiente Ugone de Comite, praecipiunt sindico ut in die iovis proximo sit ante eos Mutinae in ecclesia S. Margheritae.

161. — 1221, *oct.* 21, *X, Mutinae. A*, 218 *e aut.*

Ostenditur bulla Honorii III ad archipresbiterum et N. canonicum reginenses pro causa inter Pandecampum et Guilielmum Girardum, quam arbitri, ex voluntate I. Scarcosii, qui dicit falsam esse, retinent.

162. — 1221, *oct., Mutinae?* (*senza data*).

Nota instrumentorum quae exhibetur ab abbate S. Sixti coram arbitris.

163. — 1221, *oct.?* (*Senza data*).

Nota instrumentorum, litterarum, etc. quae exhibetur a sindico Cremonae coram arbitris.

164. — 1221, *oct.* 22, *IX, Mutinae.*

Abbas S. Sixti denuntiat arbitris quod paratus erat audire sententiam et petit ut eligant tertium consiliatorem secundum quod ipsi dixerunt.

165. — 1221, *id. id.*

Archipresbyter Nonantulae et Albertus de Buvalotto dicunt et protestantur se velle ferre sententiam interlocutoriam secundum quod eis videbitur de iure et habuerant consilium a Placentino; et Ugo negat ita ferre sententiam.

166. — 1221, *id. id.*

Archipresbyter de Nonantula constituit nuncium qui praecipiat sindico Cremonae ut det sibi pignora seu denarios pro expensis factis eo quod steterat Mutinae, si volebat ut per se ferretur sententia ut de iure poterit.

167. — 1221, *id. id.*

Sindicus recusat dare pignora seu denarios.

168. — 1221, *id. id. A*, 174 *e aut.*

Ugo de Comitibus protestatur quod paratus erat pronuntiare sententiam secundum quod dederant consilium in concordio duo sapientes Nicolaus, archipresbiter de Castro Arquadro, et Placentinus Bibianus; sed alii coarbitri recusant et recedunt.

169. — 1221, *nov.* 3, *IX Mutinae. A*, 224, *e aut.*

I. Scarcosius repraesentat se coram Pandecampo et monaco Guidone dicens se paratum esse pro facto placiti,

170. — 1221, *nov.* 5, *IX, Mutinae.*

Sindicus petit a iudicibus quod habeatur determinatum negotium secundum pronuntiaverant sapientes vel veniant arbitri et sententiam ferant secundum idem consilium, vel novi eligantur; petit praeterea ne iudices procedant ad aliquam sententiam interlocutoriam; archipresbyter et prior recusant intelligere rationes eius.

171. — 1221, *id. id.*

Pandecampus et Rusticus prior de Columbario interloquuntur et pronuntiant non esse amplius redeundum ad arbitros.

172. — 1221, *id. id.*

Guido, subdelegatus ab abbate S. Benedicti, protestatur quod volebat intelligere rationes omnium et quod per alios duos fiebat, fiebat contra suam voluntatem. Tunc sindicus porrigit libellum appellationis iudicibus, quem Guido solus recipit. Sindicus appellat ad sedem apostolicam vel ad imperatorem.

173. — 1221, *nov.* 9, *X, Cremonae. A*, 217 *e aut.*

Homobonus episcopus et comes cremonensis mittit nuncium qui Pandecampo et Rustico denuntiet ne praesumant ulterius procedere in causa nec aliquo modo gravare commune Cremonae, quia potestas iam miserat nuncium ad prosequendam appellationem.

174. — 1221, *nov.* 9, *IX, Mutinae. Cfr.* Levi, *Registri dei Card. Ugolino d'Ostia*, ecc. 116, 117.

Abbas S. Sixti dat litteras Hugonis, apostolicae sedis legati, Rolando de Gomola, mutinensi canonico, quibus ei praecipit quatinus Cremonam accedat et litteras quas ei transmittit praesentet comuni Cremonae.

Idem abbas dat praedicto Rolando has litteras (d. Nonantulae, oct. 21) quibus Hugo, iuxta tenorem bullae Honorii III receptae (d. Laterani, sept. 30) mandat potestati, consilio et comuni Cremonae quatinus usque ad proximum festum Purificationis B. Mariae (2 febbraio) per procuratores idoneos ad pontificis praesentiam accedant.

175. — 1221, *nov.* 26, *IX, Cremonae.*

Rolandinus de Gomola committit vices suas Spinello Girardi de Farneto ad offerendum litteras legati romanae sedis potestati Cremonae.

176. — 1221, *id., in domo Manfredi de Pignolo in qua potestas cremonensis moratur.*

Spinellus repraesentat Redulfo Noxae litteras Hugonis.

177. — 1221, *dec.* (*senza data*). *A*, 358.

Litterae ministri S. Benedicti supra Padum, prioris de Columbario et archipresbyteri mutinensis, ad Honorium III, quibus ei intimant quae coram se actitata sunt a tempore quo iudices delegati fuerunt usque ad diem qua litterae eiusdem pontificis per Hugonem hostiensem episcopum Cremonensibus sunt datae.

178. — 1221 (*senza data; N. di Archivio* 829).

Ratio de pecunia, scilicet de 33 libris bononiensibus minus 5 soldos bon., quae expensa fuit a procuratoribus communis Cremonae anno 1221 occasione litis cum abbate S. Sixti in victuris equorum, nunciis, cibis, etc.

179. — 1222 (1221 *inc.*), *ian.* 17, *X, in palatio Cremonae, in credentia. A*, 211 *e aut.*

Sozus Coionus potestas et consilium removent I. Scarcosium a sindicatu.

180. — 1222, *id. id., in generali consilio. A*, 196 *e aut.*

Potestas et consilium creant magistrum Nazarium et Albericum Talamacium sindicos ad allegandum et excusandum commune coram papa contra abbatem S. Sixti.

181. — 1222, *feb.* 11, *d. Laterani, a.* 6°. *Ap.*

Honorius III delegat iudices abbatem S. Iohannis, archipresbyterum parmensem, et Sym... canonicum S. Brancatii parmensis dioecesis in causa inter Pandecampum et comune Cremonae.

182. — 1222 (1221 *inc.*), *mart.* 15, *X, Cremonae.*

Potestas et consilium constituunt Boldizonum et Ghirardinum Manariam sindicos in curia pontificis ad comune re-

praesentandum cum voluntate ambaxatorum Barocii de Burgo et Monferrati de Brazaferria.

183. — 1222 (1221 *inc.*), *mart.* 16, *X*, *Cremonae. A*, 181 *e aut.*

Potestas constituit Girardum de Fabris nuncium coram papa.

184. — 1222 (1221 *inc.*), *mart.* 20, *X*, *in claustro plebis Florenzolae. Ap.*

Iacobus de Calenzano, monacus S. Sixti, porrigit vicedomino episcopo et Gerardo praeposito S. Euphemiae Placentiae litteras Honorii III (d. Anagniae, II kal. mart.) quibus praecipit episcopo, praeposito S. Euphemiae et Rolando abbati S. Savini Placentiae quatinus Cremonensibus iniungant ut usque ad dominicam qua cantatur « ego sum pastor bonus » procuratores ad praesentiam suam mittant.

185. — 1222, *id. id.*

Publicantur et in publicam formam rediguntur litterae abbatis S. Savini ad episcopum et ad praepositum S. Euphemiae quibus dicit non posse ad eos venire sed ratum et firmum tenere quidquid pro facto S. Sixti fecerint.

186. — 1222, *id. id. Ap.*

Episcopus et praepositus S. Euphemiae constituunt Opizonem de S. Sixto nuncium ad repraesentandas litteras ex parte pontificis et sua potestati consulibus et communi Cremonae.

187. — 1222 (1221 *inc.*), *mart.* 23, *X*, *Cremonae.*

Opizo de S. Sixto dat litteras potestati Cremonae.

188. — 1222, *mart.* 25, *X*, *in claustro monasterii S. Sixti Placentiae. A*, 359.

Monaci, presbiteri et clerici protestantur et recognoscunt Gandulfum fuisse et adhuc esse abbatem S. Sixti semperque eorum consensu egisse, atque in hoc mandato eum confirmant.

189. — 1222, *apr.* 8, *X*, *in consilio Cremonae.*

Potestas et consilium constituunt Iohannem Buscarolum nuncium ad sedem apostolicam ad appellandum ab omni gravamine in quo episcopus, praepositus S. Euphemiae et abbas S. Savini Placentiae vellent gravare commune, et specialiter si vellent dicere quod commune non misisset sindicos ad dominum papam sufficientes.

190. — 1222, *apr.* 13, *X*, *in civitate Verule.*

Honorius III recusat recipere Barocium de Burgo et Monferratum de Brazaferria, ambaxatores Cremonae, quia excommunicati erant.

191. — 1222, *mad.* 2, *X*, *in civitate Allatri. Ap.*

Abbas S. Sixti porrigit Iohanni de Columna cardinali libellum petitorium contra Cremonenses de quo ad num. 91.

192. — 1222, *id. id.*

Ghirardinus Manaria Correrius, sindicus Cremonae, porrigit in manu praedicti cardinalis responsum ad libellum abbatis; dicit quod commune non possidet loca quae petebat abbas, petit exemplum libelli et indutias ad redeundum Cremonam et ad deliberandum.

193. — 1222, *mad.* 8, *X*, *in civitate Allatri. A*, 175 *e aut.*

Iohannes de Columna cardinalis praecipit sindico Cremonae ut respondeat libello abbatis, alioquin excommunicabit commune; et sindicus respondet ut ante per scriptum responderat et se appellat Deo et protectioni imperii.

194. — 1222, *mai.* 26, *d. Allatri, a.* 6°. *A*, 353. Ficker, *op. cit.* 335.

Honorius III praecipit episcopo, abbati S. Savini et praeposito S. Euphemiae Placentiae quatinus in Cremonae potestatem et consiliarios excommunicationis et in civitatem ipsam interdicti sententias proferant, cum Cremonenses procuratores a sua praesentia contumaciter recessissent.

195. — 1222, *iun.? (senza data)*. *A*, 357.

Episcopus Placentiae, abbas S. Savini et praepositus S. Euphemiae Laudensi Pergamensi Mantuano Bononiensi Parmensi Regino episcopis et eorum capitulis nec non Brixiensi et Mutinensi capitulis praecipiendo mandant, quatinus sententias excommunicationis et interdicti in commune Cremonae publicent et faciant publicare.

196. — 1222, *iun.? (senza data)*. *A*, 356.

Iidem per epistolam denuntiant Magdeburgensi episcopo, imper. aulae legato, quatinus Cremonenses in colloquiis et in aliis tanquam excommunicatos vitare debeat.

197. — 1222, *iun.* 13, *X, in choro ecclesiae S. Iacobi citra pontem Treivae inter pontem et Placentiam sitae*. *A*, 302, 360.

Iidem excommunicant potestatem et consiliarios Cremonae et totam civitatem et suburbia interdicto supponunt.

198. — 1222, *iun.* 14, *X, Cremonae, in palatio episcopi*. *Ap.*

Litterae episcopi, abbatis S. Savini et praepositi S. Euphemiae Placentiae dantur Homobono episcopo et capitulo cremonensi, praecipientes ut sententiam excommunicationis et interdicti observent et faciant observare.

199. — 1223, *mart.? (senza data)*. *Ap.* Böhmer, *op. cit.*, 781.

Fridericus II praecipit abbati S. Sixti quatinus debeat quaestionem coram imperiali curia proponere.

200. — 1223, *mai.* 17, *d. Laterani, a.* 7°. *A*, 353. Affò, *Stor. di Guastalla, I*, 362.

Bulla Honorii III ad episcopum, abbatem S. Savini et praepositum S. Euphemiae Placentiae, ut abbatem S. Sixti in possessionem curtium Guastallae et Luciariae corporaliter inducant et inductum defendant.

201. — 1223, *id. id.* *A*, 352, 355.

Honorius III rogat et monet episcopum tridentinum, imperialem legatum, quatinus Cremonenses devitet et faciat devitare, et abbatem S. Sixti in possessionem Guastallae et Luciariae inducat et inductum tueatur.

202. — 1223, *id. id.* Böhmer, *op. cit.*, 663.

Eadem bulla ad archiepiscopum Magdeburgensem, imperialem legatum.

203. — 1223, *iun.* 4, *XI, in camera episcopi Placentiae*. *A*, 126 *e* 247.

Delegati a pontifice constituunt Bonum de Campo Miliazo procuratorem et nuncium suum et praecipiunt ei quatinus abbatem S. Sixti in corporalem possessionem Guastallae et Luciariae inducat.

204. — 1223, *id. in monasterio S. Sixti Placentiae*. *A*, 232.

Abbas S. Sixti constituit Obertum fratrem suum procuratorem ad recipiendam possessionem Guastallae et Luciariae.

205. — 1223, *iun.* 6, *XI, in Guastalla*. *A*, 233, 254, 322.

Bonus de Camiliacio dat veram et corporalem tenutam et possessionem et quasi Oberto per portam castri Guastallae, nomine totius castri et curtis, et Obertus de ligno eiusdem portae accipit.

206. — 1223, *iun.* 7, *XI, Luciariae*. *A*, 234, 255, 323.

Bonus dat Uberto possessionem Luciariae per castellarium Luciariae et per cupos cuiusdam domus in burgo Luciariae et per braidam quae appellatur braida de lacu, et Obertus de terra castellarii burgi et braydae accipit.

207. — 1223, *post mensem iun.? (senza data)*. *Ap.*

Petitio Gandulfi (ad vicarium imperialem ?) quatinus se inductum in possessionem Guastallae et Luciariae defendat per imperatorem, et per eumdem compelli faciat Cremonenses ne monasterium de praedicta possessione inquietent.

208. — 1223, *dec.* 7, *d. Laterani. A*, 305. Affò, *St. di Guastalla, I*, 364.

Litterae Honorii III ad Petrum episcopum terdonensem quatinus contra Cremonam et civitates qui cremonensem potestatem assumerent vel detinerent procedat.

209. — 1224 (1223 *inc.*), *ian.* 15, *XII, in palatio episcopi cremonensis. A*, 305 *e aut.*

Litterae episcopi terdonensis dantur episcopo Cremonae ut potestatem et commune moneat atque inducat ad dimittendam possessionem Guastallae et Luciariae abbati S. Sixti.

210. — 1224, *ian.* 29, *XII, sub porticu canonicae Guastallae. A*, 262, 319.

Archipresbyter et capitulus de Guastalla recipiunt litteras episcopi terdonensis, qui praecipit quatinus homines et parochianos admoneant et inducant ut de omni honore et redditibus debeant abbati S. Sixti integraliter respondere.

211. — 1224, *id., sub porticu canonicae Luciariae. A*, 263, 320.

Eaedem litterae dantur archipresbitero Luciariae.

212. — 1224, *id., prope Taliatam. A*, 264, 321.

Nuncius episcopi terdonensis interrogat pedagerium Taliatae qui respondet quod Cocius Marianus, potestas Guastallae pro Cremona, tenebat pignori pedagium a Cremona, et ipse habebat quintam decimam partem eiusdem pedagii.

213. — 1224, *febr.* 13, *XII, in maiori ecclesia Terdonae. Ap.*

Petrus episcopus renovat excommunicationem et interdictum in Cremonenses et in eos qui potestatem Cremonae assumpserint.

214. — 1224, *mart.* 6, *XII, in Vincentia, in brolio episcopi. Ap.*

Epistola episcopi terdonensis datur episcopo Vincentiae, qua mandat ut excommunicationis et interdicti sententias in Cremonenses publicet et Vincentinos moneat ut potestatem cremonensem, Wilielmum Amatum, amoveant.

215. — 1224, *mad.* 30, *d. Laterani, a.* 8°. *Ap.*

Bulla Honorii III ad ducem Petrum Zianum et populum Venetorum ne communicent cum Cremonensibus sed eos cautius evitent.

216. — 1224, *nov.* 6, *d. Laterani, a.* 9°. *Ap.*

Bulla Honorii III ad Petrum terdonensem episcopum ut frequentius sententias excommunicationis in Cremonenses renovet et civitatibus inhibeat ne quemquam Cremonensem in potestatem adsumant vel retineant aut commercia cum eis exerceant, sub poena excommunicationis et interdicti.

217. — 1224, *dec.* 26, *XIII, Placentiae. A*, 185.

Epistola terdonensis episcopi ad episcopos Parmae et Placentiae episcopo Placentino datur, qua praecipit quae in suprascripta bulla continentur.

218. — 1225, *ian.* 5, *XIII, Bononiae, in palatio episcopi. Ap.*

Eadem epistola datur episcopo bononiensi.

219. — 1225, *mart.* 19, *VIII Venetiis, in palatio ducis. A*, 131, 253.

Iordanus episcopus Paduae, ex mandato episcopi terdonensis, per litteras, quae dantur Petro Ziano duci Venetiarum, eum rogat quatinus commercia cum Cremonensibus vetet.

† In nomine Iesu Christi filii Dei viventis in secula amen. Eius salutaris nativitatis anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto, indictione tertia decima, die tertio decimo exeunte marcio, in presentia quorum nomina legentur inferius.

Iohanninus de Mediolano presentavit litteras domino Petro Ziano duci Venetiarum ex parte domini Iordani Dei gratia Padue episcopi, et eius sigillo sigillatas hunc modum continentes: Magnifico et potenti viro domino Petro Ziani, Dei gratia Veneciarum, Dalmatie atque Chroacie duci, nec

non quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie dominus, Iordanus, sola miseratione divina Padue episcopus, licet indignus, salutem et dierum longitudinem cum gloria et honore. Potentie vestre presenti pagina innotescat, nos nuper a venerabile fratre episcopo terdonensi iudice delegato domini Pape recepisse litteras in hunc modum: Venerabili patri et domino Dei gratia Padue episcopo, Petrus sola Dei miseratione terdonensis episcopus licet indignus, domini Pape iudex delegatus, cum salute. Ex mandato domini Pape domino duci et populo Venetiarum scripsimus pluries et instanter ne cum Cremonenses mercimonia contraherent, qui excomunicati sunt iam dudum auctoritate romane sedis per nos et per alios vice alia delegatos, super violentia quam faciunt monasterio sancti Systi de Placentia in curtibus et iurisdictione Luciarie et Guastalle, quas auferunt monasterio supradicto. Unde quia dicti Veneti nostrum immo domini Pape mandatum dicuntur contempnere cum ipsis Cremonensibus contrahendo, paternitati vestre cum reverentia iniungimus, auctoritate nobis commissa, ut dictos Venetos ad servandum mandatum eis contra Cremonenses factum per speciales litteras domini Pape et nostras, censura ecclesiastica compellatis. Ceterum quia vos tamquam patrem amicum et dominum specialem et universum populum Venetum diligimus puro corde et semper cupimus dicere ac facere in omnibus et per omnia ea que ad vestrum statum comodum et honorem debeant redundare et etiam vestre civitatis, sapientiam vestram hortandam duximus et rogandam, quatenus omnia mandata et precepta vobis a domino Papa a memorato domino episcopo terdonensi iudice delegato domini Pape et ab aliis vobis facta super negotio memorato dignemini inviolabiliter observare; alioquin, quantumcumque vos diligamus, licet inviti non possemus pacifice tollerare, quin contra vos mandatum apostolicum secundum Deum et iusticiam exequeremur. Testes interfuere dominus Martinus Cunctarinus, dominus Iohannes Quirini, dominus Dominicus Quirini, et alii.

Actum in palatio predicti domini ducis.

† Ego Ubertus scriptor, notarius sacri palatii, rogatus interfui, ut vidi scripsi et complevi.

220. — 1225, *apr. XIII, d. Venetiis (senza data). Ap.* Ficker, *op. cit.*, 342.

Litterae ducis Venetiarum ad Iordanum episcopum Paduae quibus denunciat eius mandatis paruisse.

221. — 1225, *mad.* 1, *XIII, Terdonae. A*, 270.

Episcopus Terdonae solemniter publicat excommunicationem in Vicentinos dando eis terminum usque ad 15 dies, infra quos satisfaciant de inoboedientia praeceptis suis et pontificis, et de iniuriis nuncio suo illatis.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quinto, indictione tertiadecima, die iovis primo intrante madio, in Terdona, in episcopali palacio. Quia dominus Petrus terdonensis episcopus, domini Pape iudex delegatus super negocio iam dudum acto inter monasterium sancti Systi placentini et civitatem Cremone pro Luciaria et Guastalla, candelis accensis excomunicavit dominum Guilielmum Amatum civem cremonensem potestatem vicentinum et eiusdem civitatis Vicentie credenciam, et totam eandem civitatem generali suposuit interdicto, hoc ideo quia dicte civitatis homines et comune dictus episcopus terdonensis per dominum episcopum vicentinum admonuit vel admoneri precepit quod deberent quemlibet cremonensem amovere a regimine civitatis sue et quod cum Cremonensibus non contraherent iuxta quod dominus Papa dicto terdonensi episcopo mandaverat suis scriptis. Ipsi autem Vicentini hec omnia contempnentes retenendo in suo regimine dictum cremonensem et cum dictis Cremonensibus contrahendo, in augumentum sue malitie nuncium dicti domini episcopi terdonensis Iohanninum nomine verberibus affecerunt, et insuper expoliaverunt eum litteris et expensis, sicut ex sacramento eiusdem Iohannini compertum est, preterea interdictum in eandem civitatem factum non servant nec clerici nec layci, propter que omnia suprascriptam excomunicationem solempniter fecit dictus episcopus, dando eis terminum usque ad quindecim dies post horum denonciationem infra quos satisfaciant de premissis.

Interfuerunt testes Guilielmus de Montemerlo terdonensis canonicus, Lantelmus de Casalis,.... dicti domini episcopi capellanus et Gulielmus filius Bernardi de Petro Iohanne.

† Ego Iohannes de Brono, sacri palacii notarius, interfui et hanc cartam iussu suprascripti domini episcopi scripsi.

222. — 1225, *id. id.* Ficker, *op. cit.*, 344.

Sententia interdicti lata ab episcopo Terdonae in Venetos nisi infra 15 dies veniant satisfacturi de sua agendi ratione.

223. — 1225, *mad.* 16, *XIII, in canonica Vicentiae. A*, 256. Ficker, *op. cit.*, 345.

Litterae episcopi Terdonae dantur Bonifacio archipresbytero et capitulo Vicentino, quibus praecipit quatinus excommunicationis et interdicti sententias publicent et faciant observare, nisi Vicentini denuntient ad dies 15 se satisfacturos esse de omnibus rebus in sua praesentia; praeterea episcopo intiment ut infra ipsum terminum satisfacturus veniat de negligentia et inoboedientia sua.

224. — 1225, *nov.* 30, *XIV, Pergami. A*, 265.

Nuncius dat D. Coxae de Franricis (!), potestati Pergami, litteras episcopi terdonensis, quibus mandat quatinus ad 15 dies in sua praesentia sufficientem responsalem mittant responsurum de electione Ravanini cremonensis in potestatem.

225. — 1225, *id. Verniae, in episcop. pergamensi. A*, 266.

Litterae praedicti episcopi pergamensi episcopo traduntur, sollicitantes ut procuret quod Pergamenses nuncium ad se transmittant.

226. — 1225, *dec.* 5, *XIII, Veronae. Ap.*

Nuncius, ex parte eiusdem episcopi, porrigit litteras adhuc sigillatas in manu Iacobi episcopi Veronae.

227. — 1225, *dec.* 20, *XIII Pergami. Ap.*

Episcopus Terdonae denunciat Pergamenses excommunicatos et interdicto suppositos, quia nuncium non miserunt et Ravaninum cremonensem in potestatem acceperunt, per litteras quae dantur episcopo et capitulo.

228. — 1225, *dec.* 29, *XIII*, (*Regii*). *Ap.*

Praedictus episcopus per nuncium transmittit litteras capitulo Regii, mandans quatinus civibus praecipiant ut amoveant potestatem cremonensem nec cum Cremonensibus commercia contrahant.

229. — 1226? (*senza data; è una pergamena con aggiunte e correzioni*).

Supplicationes abbatis S. Sixti ad pontificem Honorium III ut procedat contra Cremonenses.

230. — 1226? (*Pergamena opistografa, senza data, con aggiunte e correzioni*).

Altera supplicatio abbatis S. Sixti ad pontificem — adiectis aliis adnotationibus in causa contra Cremonenses.

231. — 1227, *sept.* 24, *I, in loco Anagniae, in palatio Gregorii noni, praesentia Homoboni episcopi cremonensis. A*, 308.

Americus Dodonus, Ravaninus de Bellotis, Nicolaus de Sydolis et Lanfrancus Tabisius, nuncii communis Cremonae coram papa iurant pro se et potestate et consilio stare omnibus preceptis domini papae pro facto interdicti et excommunicationis in quibus est positum commune propter litem cum abbate S. Sixti.

232. — 1227, *sept.* 27, *a.* 1°, *d. Anagniae. A*, 362, 363 *e aut.*

Gregorius IX potestati et consiliariis Cremonae mandat quatinus possessionem Guastallae et Luciariae tradant episcopo mutinensi.

233. — 1227, *id. id. A*, 361.

Gregorius IX praecipit mutinensi episcopo ut Cremonam accedat et cives inducat ut possessionem Guastallae et Luciariae sibi tradant, et traditas teneat vice romanae ecclesiae.

234. — 1227, *id. id. A*, 133, 315. Ficker, *op. cit.* 358.

Gregorius IX episcopo Mutinae mandat quatinus si Cremonenses ei tradiderint possessionem locorum, requirat ab eis tria millia librarum imper., quibus acceptis, restituat loca et relaxet sententiam excommunicationis et interdicti.

235. — 1227, *oct.* 22, *XV, Guastallae, convocatis quam pluribus hominibus de eodem loco et pulsata campana S. Bartholomei. A*, 309.

Guilielmus, episcopus Mutinae, praecipit Monacho de Alio et parti Rodiani quod debeant regere et gubernare locum Guastallae, et Hugutioni Diversi et Lanfranco Hugutioni Raynerii quod consulatum exerceant vice et nomine Ecclesiae; et possessionem accipit castri et curtis.

236. — 1227, *id.*, *Luciariae, convocatis quam pluribus de eodem loco apud plebem et pulsata campana. A*, 310.

Praedictus episcopus possessionem curiae et terrarum et iurium omnium accipit praecipiens Frederico de Burgo et Hugoni Angagnoli quod gubernent et regant locum et Rodulfino de Villanis pro se et socio suo absente quod consulatum exerceant.

237. — 1227, *nov.* 4, *I, in ripa Padi, in terra ipsius ripae.* Affò, *St. di Guastalla, I*, 365.

Potestas Cremonae solvit abbati S. Sixti tria millia libras imper. pro possessione adquirenda Guastallae et Luciariae et pro renunciacione quaestioni.

238. — 1227, *nov.* 4, *XV, in curia monasterii de Columba et ante claustrum. A*, 311. Affò, *Stor. di Guastalla, I*, 365. Winkelmann, *Acta imper. ined., I*, 487.

Episcopus Mutinae et Gandulfus, abbas S. Sixti, pecuniam receptam a communi Cremonae, quae erat in 15 saccis super 8 somarios, dant in deposito, iuxta mandatum papae, abbati de Columba et fratribus eius.

239. — 1227, *id.*, *Placentiae, infra claustrum monasterii S. Sixti. A*, 312 *e aut.* Winkelmann, *Acta imp. ined., I*, 488.

Gandulfus abbas et conventus S. Sixti solemniter congregatus renuntiant liti totique quaestioni super locis Guastallae et Luciariae in perpetuum pro se suisque successoribus.

240. — 1227, *nov.* 5, *I, Cremonae, in pleno consilio. A*, 364 *e aut.*

Potestas et consilium faciunt Martinum de Gabioneta sindicum communis ad recipiendam restitutionem Guastallae et Luciariae.

241. — 1227, *nov.* 7, *XV, Guastallae. A*, 313 *e aut.* Affò, *St. di Guastalla, I*, 366. Winkelmann, *Acta imper. ined., I*, 488.

Episcopus Mutinae, nomine papae, restituit Martino de Gabioneta, massario et sindico Cremonae, possessionem castri et curiae Guastallae.

242. — 1227, *nov.* 7. *XV, Luciariae. A*, 314 *e aut.* Affò, *Op. cit., I*, 366.

Idem episcopus restituit sindico Cremonae possessionem loci et curiae Luciariae.

243. — 1227, *nov.* 7, *I, Guastallae. A*, 317 *e aut.*

Instrumentum restitutionis Guastallae et Luciariae.

244. — 1227, *nov.* 8, *I, Placentiae. A*, 378 e 379 *e aut.*

Autenticatio, ex praecepto Alberti Balbi iudicis, consulis iustitiae, et, ad postulationem Anselmi Salvatici pro communi Cremonae, de privilegio Federici I (a. 1155) pro monasterio S. Sixti.

245. — 1227, *id. id. A*, 371-375 *e aut.*

Autenticatio de privilegiis pro ipso monasterio Caroli imperatoris (a. 882), Berengarii imperatoris (a. 917), Rodulfi regis (a. 924), Ugonis (a. 926), Berengarii II et Adalberti (a. 951).

246. — 1227, *id. id. A*, 369 *e aut.*

Autenticatio testamenti Angilbergae imperatricis (a. 877).

247. — 1227, *nov.* 9, *I, apud S. Sixtum de Placentia in parlatorio. A*, 316 *e aut.* Affò, *op. cit., I*, 367.

Abbas et conventus monasterii renunciant quaestioni super Guastalla et Luciaria, faciendo etiam datum potestati Cremonae, nomine communis, de dictis locis et omnibus iuribus pertinentibus, secundum quod plenius continetur in instrumento exinde facto.

248. — 1227, *id. id.*

Instrumentum venditionis et cessionis Guastallae et Luciariae.

249. — 1227 ? (*senza data. N. d'Arch.* 2020. *Doc. cartaceo del sec.* XIII).

Privilegia, honores, iurisdictiones et consuetudines curiae et hominum de Guastalla.

Hec sunt privilegia honores iurisdictiones et consuetudines curie communis et hominum de Guastalla.

In primis commune et homines de Guastalla in curia et penes potestatem et curiam Guastalle debent habere quatuor iuratores de hominibus Guastalle qui pares curie apellantur, qui debent facere condemnaciones et absolutiones maleficiorum et ofensionum que fierent et perpetraverint in districtu et curia Guastalle, tam de eis in quibus vindictam sanguinis exercerint quam de alliis maleficiis et offensionibus in robis et personis.

Item quod curia Guastalle est curia regalis, et iurisdictio per se habet in omnia imperium et plenam iurisdictionem, habendo gladii potestatem.

Item quod omnes de Guastalla et aliquis eorum non debet trai nec vocari ad iudicium vel in iudicium de aliquibus questionibus extra districtum et curiam Guastalle, sed solumodo in Guastalla sub examine curie et potestatis Guastalle.

Item quod sub curia et potestate Guastalle potest conveniri quecumque persona que esset de imperio de quibuslibet questionibus et rebus, si reperta fuerit in ipsa curia et districtu, a quocumque volente ipsam convenire, non obstante privilegio fori.

Item quod quilibet habens et tenens molendina in Pado ad ripam et territorium Guastalle non debet solvere alliquod tolomeum neque prestàcionem nisi solumodo duodecim imperiales quolibet anno et quolibet molendino curie Guastalle, tempore quo solvuntur alia ficta curie, et ab omni allia condicione prestacione et gravamine debet esse inmunis quantum pro ipso molendino.

Item quod homines et persone Guastalle libere et absolute debent et possunt ducere quelibet victualia in districtu Guastalle undequoque per territoria et aquam sine alliquo dacio et tolomeo prestando, et eodem modo sua victualia et res quocumque ducere libere et absolute.

Item quod quicumque habet terras et possessiones in districtu et curia Guastalle et undecumque sit tenetur et solvere debet fodra et datas cum hominibus Guastalle et [pariter ac] ipsi homines et prestare allias faciones tantum pro ipsis terris et possessionibus.

Item quod commune et homines de Guastalla toto tempore quo fuerint in servicio [communis Cremone?] iverint et steterint suis propriis expensis et suis risigis et periculis in rebus et personis, sine aliquo gravamine et expensis communis Cremone.

Item quod commune et homines de Guastalla nonquam se alibellaverint cum commune Cremone nec solverint aliqua fodra nec mutua ipsi communi cum ipso communi nec episcopatu cremonensi nec se alibellare debent nec aliquis faciones, set semper per se solverint sua fodra et suas faciones fecerint in terra sua et districtu Guastalle.

Item quod de omnibus et singulis supradictis est publica vox et fama, et quod ita obtentum est et observatum tanto tempore cuius non est ad memoriam, et tempore comitisse Matilde et imperii et nonciorum imperii.

Item quod commune et homines Cremone debent manutenere et conservare et defendere curiam commune et homines de Guastalla in eo statu in quo tenuerunt comitissam Matildis et imperium ipsam curiam et homines et commune, et ab omnibus communibus et personis circumstantibus ipsi comune, et districtum ipsius curie, in omnibus suis iuribus et finibus, et nullam novitatem facere nec permitti fiendi ab alliquibus in curia et districtu Guastalle.

DOCUMENTI DELLA LITE

CON

ANSELMO SELVATICO

E

L'ABATE DI S. SISTO DI PIACENZA

PER

CASTELNUOVO BOCCA D'ADDA

1226-1234.

1. — 1226, *dec.* 15, *XV, Cremonae, in consilio.*

Consilium statuit quod reficiatur damnum quod habuerunt Arbizonus et Guilielmus et Anselmus de Salvaticis ad Castrum novum de eo quod castellus fuit cavatus et elevatus, post aestimationem bonorum et lealium hominum.

2. — 1226, *dec.* 27, *XV, in palatio novo Cremonae, supra banchum bannitionum Comunis.*

Potestas praecipit pro sacramento in banno de 10 libris imp. pro unoquoque, Odoni de Divitiolis, Guidoni de Gayoldis, Petro Dodono, Ottono de Zunevolta (superstantibus castrorum) et magistro Benedicto, ut vadant ad Castrum novum et examinent damna Salvaticorum et aliorum.

3. — 1226, *dec.* 31, *XV, in palatio Cremonae.*

Iohannes de Belocia, Oddo de Diviciolis, Bocardus de Persico, Martinus Gabbus, Guilielmus Madalbertus, Iohannes Bonus Beccarius, Guido Cazalus de Gaidoldis, Petrus Dodonus, Ottonus de Zovenolta, et Fredericus Advocatus, superstantes castrorum, in concordio magistri Benedicti, dicunt quod terra in qua erat factum fossatum et terragium rochae Castri novi valebat 4 libras imp. pro pertica, et quod Salvatici habebant ibi 24 pert. et 16 tab. et dimidiam.

4. — 1226, *id. id.*

Suprastantes praedicti pronunciant quod Anselmus Salvaticus habeat 6 libras imp. et Guilielmus Salvaticus 10 sold. imp., pro mendo caminatae et aliarum suarum teiectarum.

5. — 1227 (1226 *inc.*), *ian.* 1, *XV, in camera palatii Cremonae.*

G. de Lendenaria potestas praecipit massariis ut faciant scribi in libro suo communis totum damnum Guilielmi de Selvaticis et omnium illorum de domo sua et aliorum hominum.

6. — 1230 (1229 *inc.*), *ian.* 16, *III, Cremonae, in palatio.* Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II,* 301.

Cum episcopus Laudensis iudex factus esset a Gregorio IX pontifice, per litteras d. Perusii 1229, sept. 13, a. 3°, in causa

inter conventum S. Sixti et commune Cremonae et quosdam homines cremonensis et laudensis dioecesis, qui super Castronovo Buchae Aduae et rebus aliis iniuriabantur conventui, misit nuncium cum epistola ad Ugonem Lupum potestatem Cremonae qua ei terminum statuebat ut conspectui suo sufficientem responsalem mitteret; sed potestas recusat recipere epistolam, quam nuncius tamen ponit in bancho quodam iuxta dictum potestatem.

7. — 1230, *ian.* 26, *III, in palatio episcopi laudensis.*

Leonardus monacus et procurator monasterii S. Sixti praesentat se coram Ottobello episcopo paratus procedere in causa cum communi Cremonae.

8. — 1230, *febr.* 4, *III, id.*

Procurator S. Sixti se repraesentat coram episcopo.

9. — 1230 (1229 *inc.*), *febr.* 5, *III, Cremonae.*

Torselinus advocatus potestatis et consilium faciunt Leonardum de Casamala sindicum in causa contra abbatem S. Sixti.

10. — 1230 (1229 *inc.*), *febr.* 13, *III, Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

Gandulfus abbas et monaci constituunt Leonardum confratrem sindicum in causa cum communi Cremonae coeterisque hominibus dioecesis Cremonae et Laudae.

11. — 1230, (1229 *inc.*), *febr.* 15, *III, Laudae.*

Sindicus S. Sixti porrigit episcopo laudensi libellum convencionalem quo abbas et conventus S. Sixti petunt ut commune Cremonae condemnetur ad restituendum Castrum novum de Bucca Aduae cum ecclesia S. Michaelis, ad solvendum 1000 marchas pro fructibus perceptis, ad restituendam novam munitionem, quam vocant rocham Castri novi, monasterio vel Anselmo Salvatico vassallo eius, et ad solvendum 1000 libras pro damnis illatis occasione praedictae rochae, et ad restituendum omnia casamenta quae occupata detinet Commune inter rocham et burgum.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione tertia, die veneris quinto decimo mensis februarii, in civitate Laude, in palacio domini episcopi, coram Oberto vicedomino, Iacobo Garibello notario, Baxano Poncarolo, Guilielmo Rochario, preposito Petro sancti Michaelis, Iacobo nepote domini episcopi, testibus rogatis. Dompnus Leonardus monacus et sindicus sive actor constitutus in causa quam abbas et conventus sancti Systi de Placentia habet cum comune Cremone, pro ut continetur carta per me Gerardum Pelliparium notarium facta, porexit nomine dicti monasterii libellum convencionalem dicto domino episcopo iudice a domino Papa dellegato in dicta causa, cuius tenor de verbo ad verbum nullo immutato talis est. Dicunt abbas et conventus sancti Systi de Placentia quod Fredericus Romanorum imperator audiens quod possessiones predicti monasterii, per multiplices alienationes ab abbate Berardo et aliis sine conniventia seu consensu vel auctoritate imperiali factas, alienate detinebantur a pluribus in damnum dicti monasterii, eisdem indulsit quod predicto modo alienata petere possent non obstante aliqua temporis prescripcione vel donacione, seu etiam quacumque alienatione predicto modo facta; voluit etiam et iussit ut bona dicti monasterii nullo contractu modo in alium transire possint sine consensu imperiali et dictas alienationes in irritum devocavit, nolens quod robur obtinerent et volens quod bona dicti monasterii perhenniter permanerent usibus ibidem Deo famulantium, quorum usibus sunt deputata ex concessionibus predecessorum suorum vel in alimentum; inter que bona specialiter Castrum Novum de Bucca Addue cum ecclesia sancti Michaelis nominavit, cum omnibus iuribus et pertinenciis. Propter que cum comune Cremone dictum Castrum novum cum suis pertinenciis detineat non habentes super hoc aliquem titulum, maxime consensu vel auctoritate imperiali celebratum, nec etiam auctoritate sedis apostolice, cui dictum monasterium inmedietate (!) subest, sine qua eciam iure comuni castrum predictum et ecclesia sancti Michaelis iam dicta et pertinencia eorumdem per aliquam speciem alienationis a iure et proprietate monasterii minime recedere potuerunt. Petunt dictum comune sibi condempnari ad restituendum dictum castrum cum omnibus pertinenciis, non obstante aliqua temporis prescripcione vel transactione seu aliqua alienatione prefacto modo facta, et etiam alia in qua dictum monasterium deceptum fuerit seu lesum, ita quod de iure comuni vel singulari locum habeat vel habere possit beneficium in integrum restitutionis vel aliud remedium per quod dictum monasterium possit ilesum conservari. Ex nunc enim vestrum implorant officium super hiis remediis, si locum habuerint in aliquo casu qui emergat in hoc negocio coram vobis. Petunt eciam dictum comune sibi condempnari usque ad valorem mille marcharum nomine fructuum que dictum comune ex premissis vel occasione premissorum perceperunt et etiam aliorum que ad dictum comune aliquo modo devenerunt, auctoritate seu occasione predicti castri et pertinentiarum, pre-

cipue ea occasione q..... iure fiscali asserendo quod ipsum comune in dictis castro scilicet et pertinenciis est loco abbatis seu abbatie dicti monasterii, casamenta in quibus habitant eiusdem castri habitatores ad dictum comune propter hoc pertinebant, ut que erant aquisicta a dicto monasterio vel ipso comuni, eadem occupavit et detinet occupata sepedictum comune. Item specialiter petunt sibi restitui ut prius quicquid municio et fossata eius quam novo fecit comune Cremone et vocatur rocha Castri novi continet iuxta ecclesiam et pertineutias sancti Michaelis, qui est inter dictam rocheram; dicunt enim dictam ecclesiam suam esse cum suis pertinentiis cum quia dominium eorum fuit auctoritate summi pontificis et alia iuris debita solempnitate que non intervenit ab eis separari potuit, cum etiam quia canon ex ipsa seu pro ipsa ecclesia eis debitum annuatim a biennio et amplius minime estitit solutus ab ecclesia sancte Agathes de Cremona vel ab alio pro ea, propter quod etiam si umquam discesserat ad ipsos idem dominium est ipso iure reversum . . . etiam quia ipsa alienatio manifeste fuit in dampnum magnum ecclesie, propter quod singulari iure statuto seu etiam acquisito predicto monasterio ex rescriptis indulgentiis predictis confirmationibus prohencionibus imperatoris Frederici ipso iure non valuit. Item dicunt quod sepedictum comune de novo scilicet a quinquennio citra fossata et muros fecit atque turres et etiam portas in loco qui dicebatur costa, ibi scilicet apud castrum novum predictum, inter castrum antiquum quod ipsi destruxerunt et burgum eiusdem loci, que fossata et muri et turres et etiam porte sunt pro maiori parte, ita quod septima pars non est aliena, sunt in terra quam Anselmus Salvaticus quondam civis Cremone nunc vero Trecensis tenebat ab ipsis et tenere confitebatur et confitetur se tenere debere honorifice in feudum cum omni iurisdictione et honore atque districtu ipse et heres sui tam femine quam masculi. Quapropter cum propter occupationem predictorum fossatorum et murorum atque turrium que dictum comune tenet, dicto Anselmo invito et nolente, ita quod nec ipsis munitionibus nec aliis ad ipsum Anselmum feudum nostrum pertinentibus intra ipsas munitiones constitutis . . . libere ut debet . . . eis non faciat servicium ut tenetur idem Anselmus, cui etiam predictum feudum tenentur deffendere ut domini, scilicet pacta et conventiones inter ipsos et dictum Anselmum factas, petunt dictam munitionem quem vocant Cremonenses rocham Castri novi ipsis restitui vel dicto Anselmo vassallo suo, ita quod ipse Anselmus ut eorum vasallus dicta rocha uti possit et omni eo quod ipsa de terra dicti Anselmi continet et omnibus suis racionibus rocham eamdem constitutis ad feudum ipsum pertinentibus, sicuti de re propria iure feudali servicium debitum ipsis propter feodum dictum exhibendo, vel eo negligente debitum servicium exhibere, ipsi ut domini predicto feudo suo libere possint uti ad voluntatem suam, cum omnia predicta sola auctoritate iuris cedere debeant et cesserint. Petunt etiam dicto vasallo eorum alia omnia dampna per fossata premissa illata a dicto comuni restitui cum extimatione mille libras. Item petunt prefato modo dicto vasallo ipsorum vel ipsis restitui omnia casamenta que sunt constituta inter castrum seu rocham predictam et burgum eiusdem loci ad dictum Anselmum pertinentia occupata detinet dictum comune per se vel alios, et omne damnum propter hoc ipsum eidem Anselmo illatum usque ad mille libras den.; que ipsa casamenta sive sedumina prefato modo ad dictum Anselmum debet a dicto monasterio teneri feudum et etiam dictum castrum cum omnibus pertinentiis, propter quod venditio vel alia alienatio, quam ipse Anselmus precipue coactus a dicto comuni vel expoliatus fuisset, sine prescientia et absensu ipsorum non vallent, precipue in preiudicium ipsorum dominorum quo minus ipsi predicto modo petere possent illud quod ad ius . . . feudum suum pertinet. Predicta omnia dicunt et petunt salvo iure addendi et diminuendi et corrigendi et mutandi abbas et conventus predicti.

✝ Ego Gerardus Pelliparius, sacri palacii notarius, huic interfui et rogatus scripsi a dicto sindico.

12. — 1230, *id. id.*

Episcopus statuit sindicis Cremonae et S. Sixti terminum veniendi coram se.

13. — 1230 (1229 *inc.*), *febr.* 22, *Cremonae.*
Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II*, 299.

Anzelerius de Curtemaiori, procurator Anselmi Salvatici, porrigit litteras potestati Cremonae ex parte episcopi laudensis, quibus episcopus citat Commune ad respondendum de iniuriis allatis Anselmo, occasione roccae apud Castrum novum de Bucca Aduae et aliarum rerum; praeterea dat alterum libellum potestati, quo denuntiat A. Selvaticum non esse a biennio civem cremonensem sed trecensem et prohibet Communi, ex parte Papae et archiepiscopi Mediolani, sub quorum protectione Salvaticum ponit, ne ipsum in aliquo laedant.

✝ Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione tercia, die veneris octavo kalendas martii, Cremone in palatio comunis Cremone, coram Alberico de Camprinaldo, Guilielmo Bracoforte, testibus rogatis.

Angerius de Curte maiori, procurator domini Anselmi Salvatici, porexit et dedit domino Hugoni Luppo potestati Cremone, ex parte domini episcopi laudensis, litteram signatam sigillo cereo ipsius episcopi in ea pendenti, cuius tenor talis est:

O[ttobellus], divina miseratione laudensis episcopus, nobili viro Hugoni Luppo potestati Cremone salutem in Domino. Anselmus Salvaticus,

quondam civis cremonensis, nunc vero, ut ipse coram vobis publice protestatus est, civis trecensis, biennio iam elapso, factus animo etiam mutandi presens domicilium civitatis Cremone, ita quod de cetero non sit civis cremonensis sed trecensis, nobis conquestus est ut ipsi cruce signato, ac per hoc sub protectione ecclesie cum omnibus suis bonis, iuxta Consilii generalis statuta, constituto, faciamus iustitiam, ut ordinarius, super iniuria quam ei fecerunt facere comune Cremone ut asserit de Castro novo de Bucca Adue et eius pertinentiis laudensis diocesis et dampnis et iniuriis propter hoc eidem Anselmo illatis; ita quod non possit pro defectu nostro iustam causam habere revertendi ad reverendum in Christo patrem Dei gratia mediolanensem archiepiscopum. Idcirco vobis auctoritate presentium precipiendo mandamus quatinus vos vel aliquis pro vobis seu dicto comuni, decima die post susceptionem presentium litterarum coram nobis apud Laudam compareatis vel compareat sufficientem ad respondendum, pro ut iustum fuerit, super hiis que a predicto Anselmo proponentur tunc coram nobis contra dictum comune, super eo silicet quod ipse utpote cruce signatus petit a nobis sibi iustitiam exhiberi super rocca quam dictum comune in terra eius a biennio hedificavit apud Castrum novum de Bucca Adue in nostra dioecesi, alias eidem multipliciter iniuriando. Et cum ipsa potestas recepisset predictam litteram, idem procurator statim et incontinenti nomine et vice ipsius domini Anselmi porrexit similiter et dedit eidem potestati quemdam libellum sive quoddam scriptum, cuius tenor talis est:

Ego Ancelerius de Curte maiori nuntius et procurator ad hoc constitutus Anselmi Salvatici quondam civis cremonensis nomine, vobis, domine Ugone Luppo potestas comunis Cremone, denuntio quod ipse Anselmus non habet animum nec habuit a biennio habendi domicilium in Cremona nec in eius districtu sed animo constituendi prorsus et ex toto habendi domicilium Creas ubi est uxor eius et familia et ut sit civis trecensis exivi[t] de Cremona; quare ut talis civis non vester sed alienus, et etiam ut cruce signatus, et per hoc cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub protectione ecclesie constitutus, paratus in foro quo debet vobis et comuni Cremone in omnibus exhibere iustitiam, vobis vice et nomine dicti comunis prohibet ex parte domini Pape et archiepiscopi mediolanensis, ad quos super hoc appellat et ego pro ipso se et sua sub protectione ipsorum specialiter supponendo, ne de cetero vos vel aliquis nomine comunis in aliquibus ad ipsum pertinentibus vel in ipsum procedatis, ipsum citando vel monendo vel aliquod bannum dando vel aliquid de bonis suis occupando seu etiam deteriorando de statu quo sunt, vel alio modo ut in vestrum vel dictioni Cremone subdictum procedendo. Et cum iam dictus procurator dedisset iam dicto potestati suprascriptum scriptum, idem procurator dixit eidem potestati sicut in eo scripto continetur: ita dico nomine et vice suprascripti Anselmi, et de hoc rogo Petrum Blancum notarium qui est hic ut mihi faciat publicum instrumentum. Et potestas respondit et dixit michi notario: scribite et dicatis domino Anselmo quod usque ad modicum tempus dabimus sibi talem libellum qui tunc sibi non erit pulcher nec bonus.

† Ego Obertus de Gropallo, sacri palatii notarius, hanc cartam a Petro Blanco notario imbreviatam eius mandato et vice ita scripsi.

14. — 1230 (1229 *inc.*), *id.*, *in camera episcopi Cremonae.*

Anzelerius porrigit libellum episcopo, quo ei denuntiat ut compellat commune ad restituendum A. Salvatico cruce signato terras invasas occasione roccae Castri novi et ad resarciendum damna, et appellat ad archiepiscopum Mediolani si episcopus hoc nolit facere. Qui postera die respondet quod faciet quicquid habebit ad faciendum.

15. — 1230 (1229 *inc.*), *febr.* 26, *III*, *Laudae.*

Osbertus Vetulus, procurator Ponzoni et Capae et Presbiteri et Oddonis et Iohannis boni et Vetuli, pro se et dictis denuntiat A. Selvatico ne debeat litigare sub episcopo laudensi quia non habet iurisdictionem in eum; et Selvaticus respondet quod non faciet nisi vi coactus.

16. — 1230, *febr.* 27, *III*, *Laudae.* Vignati, *Cod. Diplom. Laud.*, *II*, 300.

Episcopus laudensis statuit terminum sindico Cremonae et S. Sixti ut praesentent se pro consilio habendo super exceptione declinatoria iudicum posita.

17. — 1230 (1229 *inc.*), *id. id.*

Praecepto facto per correrium Cremonae A. Selvatico ut se repraesentet coram potestate, sub banno 500 libr. Anselmus respondet non teneri hoc facere quia non erat civis cremonensis.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione tercia, die mercurii tertio kalendas marcii, in civitate Laude, in palatio domini episcopi, coram Oberto vicedomino, Malnepote de Curte maiori, Guilielmo Rochario, testibus rogatis.

Precepto facto domino Anselmo Salvatico per Guazetum currerium communis Cremone, nomine ipsius communis, ut dicebat, super eo videlicet quod ipse Anselmus representaret se coram potestate Cremone die sabbati tunc sequenti, sub

banno quingentarum librarum imperialium, sic respondit ipse Anselmus: quod, quamvis non reputaret eum nuncium, quia ut ipse interrogatus ab eodem Anselmo non habebat instrumentum aliquod super eo quod esset nuncius potestatis, ut dicebat, nec sciebat causam quare vocaretur, tamen respondebat ei, quod non reputo me civem cremonensem nec dicte potestatis subditum et sic non teneor coram eo comparere, nominatim propter raciones quas ei missi per procuratorem meum quibus inhereo, et tamen si securiter possem ire ad ipsum irem, non ex debito subiectionis, sed pocius ut civiliter agerem cum eo, et audirem quod dicere vellet et facerem quod de iure deberem.

† Ego Gerardus Pelliparius, notarius, huic interfui et rogatus scripsi.

18. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 1, *III*, *Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

A. Salvaticus constituit Guilielmum Brachiofortem suum nuncium ad se repraesentandum coram potestate Cremonae.

19. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 2, *III*, *Cremonae in palatio.*

Potestas recipit a G. Brachioforte epistolam qua episcopus laudensis statuit potestati terminum ut coram se compareat propter placitum cum A. Salvatico, excommunicat omnes qui detinent aliquid quod Salvatico pertinet, et inhibet ne eidem damnum inferatur huius querelae causa.

20. — 1230 (1229 *inc.*), *id. id.*

G. Brachioforte porrigit potestati epistolam qua A. Salvaticus rationes esplicat propter quas personaliter die statuta non comparuit et petit arbitros, si est reputandus civis cremonensis, et super iurisdictione Cremonensium in se, quam recusat; denique appellat ad sedem apostolicam et metropolitanam et inhibet potestati ne contra se procedat vel nuncium suum laedat. Potestas praecipit ut nuncius in carcerem mittatur.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo nono, indictione tertia, die sabbati secundo mensis martii, in civitate Cremone, in palatio communis, coram Oberto vicedomino, Malnepote de Curte maiori et multis aliis.

Guilielmus Blachoforte, procurator Anselmi Salvatici, quondam civis cremonensis et nunc trecensis, ad representandum se coram potestate Cremone et ad porrigendum quoddam scriptum pro ut continetur carta per me Gerardum Pelliparium notarium, representavit se coram dicta potestate pro ipso Anselmo, et porrexit quoddam scriptum quod ipse potestas recepit; et quia dictus Guilielmus protestatus fuit se nuncium esse et procuratorem dicti Anselmi, ipsum Guilielmum in carcerem mittere precepit. Tenor dicti scripti talis est:

Nobili viro domino Hugoni Lupo marchioni potestati cremonensi, Anselmus Salvaticus, quondam civis Cremone nunc trecensis, salutem in Domino. Quum die mercurii proxime preterita apud Laudam quidam Gua. nomine, asserens se habere in mandatis a vobis hoc, pro ut videlicet michi precipere preceptum ex parte vestra quod hac die sabbati coram vobis comparerem, sub banno quingentarum librarum, idem aliis necessitatibus impeditus personaliter accedere non valens, timens etiam hoc tempore venire non propter causam iustam quam commiserim, sed rumorem pocius et tumultum populi quorum voces lapidaverunt Christum et crucifigi fecerunt, illud precipue attendens quod nullam causam expressit quoniam vocaretis me nec dixit ut personaliter accederem seu comparerem, cum licitum sit cuique ad ius vocato generaliter de iure saltim per procuratorem comparere, dilectum nostrum consanguineum Guilielmum Blachoforte civem placentinum latorem presentium meum constituo nuncium et procuratorem, uti ad dictam diem coram vobis per me comparens vobis presentet et porrigat hoc scriptum quo continetur responsio mea super eo quod G. prefacto modo precepit michi ut comparerem. Super quo miror quomodo nobilitas sanguinis vestri sive orrigo potuit vobis suadere et vinculum regiminis quo tenemini per iuramentum subdictos cum favore in sua iustitia potuit substinere, ut me sic vestrum putabatis subditum et iusta ex causa vocandum evocaretis hoc tempore, ut coram vobis comparerem, si intelligebatis quod personaliter venire deberem et apud Cremonam, cum publicum sit et notorium quod vos etiam si velletis me non possetis circa premissa deffensare, immo vobis esset periculosum non minus quam michi si crederetur etiam vos velle id attemptare. Preterea cum sine causa expressa me, qui nunquam consuevi evictare mandata dominorum, et repente tam modico spacio preterito predicta adiecta vocastis, quem cotidie apud vos conversantem, cuius etiam servicio utebamini, etiam pro comuni in pace dimiseratis, non immerito potuit (!) timere animi vestri motum; ac propter hoc eciam si essetis iudex meus sine questione possem vos ut suspectum habere, ac petere alium saltim episcopum associari si causa moveretur contra me ab alio, multoque forcius si vos pro comuni contra me aliquid petere velletis; esset enim prodictio similis illi quam Iudei fecerunt erga Christum cotidie conversantem et predicantem inter eos, pacienter permiserunt abire ac postmodum sub pretestu osculis pacis cum gradiis et fustibus ipsum proditionaliter captum crucifixerunt, si me ad vos vocatum vel nuncium meum venientem lederetis. Sciat igitur

vestra maiestas quod coram vobis si nollem eciam per procuratorem comparere non teneor, tunc quia licitum fuit michi re et facto domicilium transferre, precipue citacione seu vocatione vestra non pervento, quod fuit etiam antequam vos essetis potestas, quoniam uxorem et familiam transtuli in terra comitis Campanie cuius civis sum, ita quod peregrinus sum et transiar quocumque vadam, ibi manens si me advocet, ad ipsum locum semper reversurus cum peregrinari desino; nec orrigo patris vel mea seu precedens domicilium obligat me iurisdictioni vestre, etiam si forte essem publicis muneribus subiectus, tunc eciam quia cruce signatus sum ac propter hoc cum omnibus ad me pertinentibus de foro ecclesie factus, precipue post appellationem super hiis interpositam a vobis ad sedem apostolicam et metropolitanam, tunc eciam quia persona vestra michi facta est suspecta propter motum animi vestri predicto modo hostensum. Quare in hoc casu peto, secundum statuta Concilii generalis, arbitros si sum reputandus subditus vester, quod non credo, tunc eciam quia propter rumorem et tumultum populi locus scilicet civitas Cremone est michi non tutus, quo similiter casu si sum reputandus subditus peto michi tutum locum assignari, tunc eciam quia cum iam saltim per appellacionem et alia premissa introversa sit possessio vestra, si quam habuistis iurisdictionis in me, et facta est iam res litigiosa super ea inter me et vos, et delacta est querela ad superiorem, nec vos debetis esse iudex in ipsa, tunc eciam quia excomunicacio lata a domino Papa tempore coronationis Federici nunc imperatoris, quam excomunicat omnes illos qui iudicant vel servant statuta sive consuetudines civitatum que sunt contra libertatem ecclesiasticam et canonicas sanciones, que et quas cassavit dictus imperator, fecerunt vos et totum commune non legitimos, pro eo quod consuetudines et statuta de non solvendis decimis intra clausos civitatis et de usuris solvendis usque ad modum statutum servatis et servare iurastis. Propter istas enim rationes et alias quas allegassem, si locum tutum michi assignavissetis et personam non suspectam haberem que in veritate michi preesset, dico per presens scriptum manu mea scriptum et etiam per procuratorem predictum specialiter ad hoc scriptum vobis porrigendum et per me presentandum constitutum, pocius ex civitalitate quam ex debito subiectionis me non teneri coram vobis comparere, precipue hac die prefacto modo vocatum, et innovando appellationes predictas de novo etiam appello ad sedes predictas ponendo me et mea sub protectione ipsarum; inhibendo etiam vobis ne premissis contemptis et precipue mandatis arbitris non datis ad cognoscendum de premissa causa suspicionis et loco tuto non michi assignato, in aliquo contra me ut vestrum subditum procedatis, precipue lite pendente coram domino episcopo laudensi inter me et dictum commune Cremone, cui etiam speciali ratione non teneor in aliquo respondere, scilicet prius quam michi restituatur possessio terre mee qua me spoliavit faciendo in ipsa fossata roche Castri novi de Bucha Addue laudensis dioecesis.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono, indicione tercia, die veneris qui fuit primo mensis marcii.

† Ego Girardus Pelliparius, notarius; huic inter fui et rogatus a dicto procuratore hec ita scripsi.

21. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 6, *III, Cremonae, in palatio episcopi.* Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II,* 302.

Episcopus laudensis in epistola, quae Cremonae episcopo datur, praecipit ei quatinus potestatem et consilium moneat ut statim, sub poena excommunicationis, relaxent patrem et fratrem A. Salvatici quos ceperunt et incarceratos detinent violenter, et Anselmum a gravamine banni relevent.

22. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 7, *III, Cremonae, in palatio episcopi.*

Epistola A. Salvatici datur episcopo, qua de novo appellat ad mediolanensem archiepiscopum, quum episcopus nolit exhibere iustitiam.

23. — 1230, *mart.* 12, *d. Laterani, a.* 3°. *Ap.*

Gregorius IX constituit episcopum placentinum iudicem in causa inter conventum S. Sixti et commune Cremonae et homines cremonensis placentinae et laudensis dioecesis qui detinent occupata bona dicti monasterii.

24. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 12, *III, Cremonae, in palatio episcopi.*

Episcopus laudensis, per litteras datas in manibus episcopi Cremonae, praecipit ei quatinus potestatem et consilium denunciet excommunicatos esse nisi usque ad quartam diem a receptione litterarum relaxent patrem et fratrem A. Salvatici et bannum et alia gravamina contra Anselmum revocent; nisi iurent in animas suas, quod allegavere verum esse, se praedictos captos detinere et banna imposuisse non occasione causae seu patrocinii quod idem Anselmus praestat in causa inter abbatem S. Sixti et commune Cremonae.

25. — 1230 (1229 *inc.*), *mart.* 16, *III, Cremonae.*

Homobonus, episcopus Cremonae, recipit litteras vicedomini et cimeliarchae

mediolanensis, qui, ex parte archiepiscopi, ei praecipiunt quatinus decima die post receptionem litterarum compareat cum potestate et consilio Cremonae coram archiepiscopo propter placitum cum A. Salvatico.

26. — 1230, *id. id.*

A. Selvaticus, in epistola episcopo cremonensi data, petit ut sibi assignetur locus tutus, ubi ipse vel procurator suus parati sunt venire ad procedendum et expedienda ea, de quibus vicedominus et cimeliarcha mediolanenses eidem episcopo scripserunt.

27. — 1230, *mart.* 17, *III, in palatio episcopatus laudensis.*

Episcopus prorogat terminum statutum sindicis Cremonae et S. Sixti pro consilio habendo, et potestati et consilio Cremonae comparendi contra A. Salvaticum usque ad diem 29 mart.

28. — 1230, *mar.* 28, *Cremonae.*

Vicedominus et cimeliarcha mediolanenses, in litteris datis episcopo Cremonae, praecipiunt ei quatinus potestatem et consilium, sub poena excommunicationis, ad comparendum citet, si non fecerit, et excommunicatos denunciet, si citavit, nisi A. Salvatico satisfaciant.

29. — 1230, *mart.* 31, *III, Laudae.* Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II,* 303.

Episcopus laudensis suspendit negocium A. Salvatici contra Cremonam, donec quaestio declinatoria iudicii et iurisdictionis sopita et determinata fuerit inter ipsum commune et conventum S. Sixti.

30. — 1230, *apr.* 3, *III, Laudae.*

Episcopus, non obstante exceptione declinatoria fori ecclesiastici opposita per commune Cremonae, interloquendo pronunciat esse procedendum in causa et statuit diem Communi, abbati S. Sixti et A. Salvatico.

31. — 1230, *apr.* 4, *III, Mediolani.*

Vicedominus et cimiliarcha, vicarii archiepiscopi, accipiunt epistolam Homoboni episcopi cremonensis qua dicit fecisse quod praeceperant; item accipiunt epistolam Homoboni ad A. Salvaticum qua ei statuit locum tutum et diem ad placitum cum communi. Vicarii statuunt diem eidem episcopo et communi qua coram archiepiscopo veniant.

32. — 1230, *apr.* 6, *III, in palatio episcopi Cremonae.*

Nuncius dimittit in ostio, quia clericus episcopi non vult eas recipere, litteras vicariorum archiepiscopi mediolanensis qui iterum eamdem diem episcopo et communi statuunt.

33. — 1230, *apr.* 19, *III, in palatio episcopi laudensis.*

Episcopus et arbitri electi a sindicis Cremonae et S. Sixti super causis suspicionis contra ipsum episcopum statuunt diem conveniendi apud Laudam.

34. — 1230, *id. id.* Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II,* 303.

Cum episcopus Cremonae scripsisset A. Salvatico se paratum nunc esse procedere contra Commune, nuncius episcopi et A. Salvaticus statuunt diem conveniendi apud Roncarolum; itemque in concordio cum sindico Cremonae prorogant terminum ad procedendum coram archiepiscopo.

35. — 1230, *apr.* 21, *Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

Abbas et fratres constituunt Leonardum monacum sindicum ad tractandum super causis suspicionis oppositis pro sindico Cremonae contra episcopum laudensem.

36. — 1230, *apr.* 22, *III, Placentiae, in burgo Roncaroli.*

Episcopus Cremonae interloquendo dicit quod antequam sindicus Cremonae respondeat querelis A. Salvatici debet constare quod caritativa monicio communi praecessit. Salvaticus appellat ad archiepiscopum mediolanensem.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo, indictione tertia, die lune decimo kalendas madii, Placentie, in burgo Roncaroli, subter porticum comunis eiusdem loci, coram Iohanne Surdo, Marchesio Malnepoto, Oberto Malnepoto, Iacobo Serserio, testibus rogatis.

Anselmus Salvaticus coram Homobono episcopo cremonensi, lectis litteris ipsius episcopi, quarum tenor infra legitur, proposuit quod secundum quod ipsi episcopo cremonensi, iamdiu erat, denuntiaverat per Anzelerium de Curte maiore procuratorem suum ad hoc constitutum, ut legebatur in quodam publico instrumento ibidem lecto manu Oberti de Gropallo notarii facto, ratam habens ipsam denuntiationem, tunc quoque denuntiabat eidem episcopo hoc scilicet, quod potestas et consilium seu comune Cremone christiani eiusdem episcopi peccaverant et peccabant in ipsum Anselmum contra sacramenta etiam veniendo, secundum quod continebatur in eodem instrumento publico ibidem viso et lecto; quare protestando expressim quod nichil de his, super quibus agebatur coram domino episcopo laudensi vel que facta erant per ipsum vel coram ipso, auctoritate ordinaria vel domini Pape, inter ipsum Anselmum et potestatem et consilium seu comune predictos, intendebat coram ipso episcopo cremonensi deducere in cognitionem, sed, illis omnibus salvis super quibus erat dies veneris proxima statuta apud Laudam inter ipsum Anselmum et dictum comune et potestatem et consilium Cremone, petebat quod ipse episcopus in modum denuntiationis ius suum intentando procedendo, secundum statuta canonica precipue Consilii generalis, compesseret vel compelleret predictos Cremonenses aversarios suos desistere a predictis iniuriis et satisfacere eidem super ipsis. Et cum dictus episcopus respondisset quod paratus erat super his facere quod debebat etiam dicto modo procedendo, et quidam Richobonus de Frixonis civis cremonensis exhibuisset quoddam instrumentum quo continebatur quod ipse fuerat sindicus constitutus a comuni Cremone, quarto die aprilis, ad causas quas dictum comune habebat vel habere sperabat coram dicto episcopo con ipso Anselmo, et cum diceretur ab ipso Anselmo quod, quamvis illa constitutio procurationis seu sindicatus non esset sufficiens, paratus tamen erat convenire incontinenti dictos adversarios suos super premissis, si dictus sindicus vel alius qui hoc posset pro dicto comuni defendere negaret que in libello iam dicte denuntiationis continebantur; dictus Richobonus negavit quod potestas et consilium comunis Cremone fuissent moniti ab ipso Anselmo. Et cum ipse Anselmus procedendo poneret, quod comune Cremone roccham Castri novi extruxerant, eo absente et ignorante, in terram quam ipse tunc possidebat et emerat ab illis qui vendere poterant, paratus, ut dicebat, super hoc incontinenti convincere comune si negabatur, in hoc scilicet quod tres partes dicte roche erant in predicta terra sua, pars scilicet illa que est versus castrum vetus et alia que est versus Padum, illo solo modico excepto quod ibi habebat tunc Ardizio Salvaticus patruus eius, que fuit quondam Pasagii de Mazabobus, et alia que est versus Meletum, illo similiter modico excepto quod ibi habebat dictus Ardizio; quartam autem partem dicte roche que est versus burgum dicebat esse in predicta terra sua extentam a via que ibat, antequam fierent fossata dicte roche, ab ecclesia sancte Marie versus costam sive etiam castrum vetus versus Meletum; versus autem Padum partem illam dicebat esse in dicta terra sua, ex loco quod est ab oppositis domus Grassi? in quantum estenditur versus Padum; et altercatione habita deberet vel non deberet respondere dictus sindicus; dominus episcopus, habito consilio, interloquendo dixit quod priusquam responderetur super hoc debebat ei constare quod caritativa monicio precessisset. Quare dictus Anselmus sentiens se indebite ex hoc gravari, ut dicebat, appellavit ad dominum archiepiscopum mediolanensem, diem in crastino appellationi sue prefigendo coram ipso qui, ut audierat, debebat ipsa die esse apud Placentiam.

Tenor autem litterarum predicti episcopi cremonensis, de quibus supra fit mentio, hic est:

Homobonus, Dei gratia cremonensis episcopus, viro provido et sapienti ac fideli nostro Anselmo Salvatico, salutem et prosperitatis augumentum. Dilectioni vestre presentibus mandamus significando quatinus parati sumus procedere contra potestatem et consilium et comune Cremone, secundum formam inquisitionis, de dampno vobis ab ipso comune illato. Ideoque vobis mandamus quatinus diem et terminum statuatis ut possimus per nos vel per nuntium nostrum esse ad Roncarolum, processuri in dicta inquisitione secundum quod de iure fuerit faciendum vel de iure ad voluntatem vestram.

† Ego Stefanus Ianazanus de Roncarolo, sacri palatii notarius, huic interfui et hanc cartam perinde scripsi.

37. — 1230, *apr.* 23, *III, Cremonae.*

Potestas et consilium constituunt Leonardum de Casamala sindicum coram archiepiscopo Mediolani et quocumque alio causa ire debeat vel per appellationem vel alio modo.

38. — 1230, *apr.* 26, *III, in palatio vetere archiepiscopi Mediolani.*

Archiepiscopus confirmat quicquid per vicarios suos factum est.

39. — 1230, *apr.* 28, *III, Laudae.*

Episcopus statuit diem sindico Cremonae et A. Salvatico ad audiendam sententiam super recusatione iudicii, et etiam sindico S. Sixti ad procedendum coram arbitris super causis suspicionis.

40. — 1230, *mad.* 3, *III, Mediolani.*

Sententia lata per archiepiscopum, quod sindicus Cremonae sit admittendus quamvis excommunicatus et quod episcopus Cremonae male iudicavit (1230, apr. 22).

41. — 1230, *mad.* 4, *III, Laudae.*

Episcopus prorogat terminum sindico Cremonae et A. Salvatico.

42. — 1230, *mad.* 5, *III, Laudae.*

Episcopus statuit diem sindicis Cremonae et S. Sixti.

43. — 1230, *mad.* 8, *III, Cremonae.*

Vicedominus, episcopus Placentiae, iudex delegatus a papa, per litteras praecipit archidiacono et cantori cremonensibus quatinus citent omnes, qui terras possident in pertinentiis Castri novi Bucae Aduae, quorum nomina enumerantur, excepto Communi, ad respondendum coram se monasterio S. Sixti.

44. — 1230, *mad.* 9, *III, Cremonae.*

Advocati potestatis et consilium Constituunt Leonardum de Casamala sindicum ad consenciendum coram episcopo Laudae ad committendum negocium cum abbate S. Sixti, et etiam ad comparendum coram pontifice.

45. — 1230, *mad.* 10, *III, Laudae.*

Episcopus statuit diem sindicis Cremonae et S. Sixti quo se repraesentent coram papa.

46. — 1230, *id. id. Cremonae.*

Praepositus S. Brigidae Placentiae nuntiat archidiacono Cremonae per litteras quae ei dantur episcopum Placentiae commisisse sibi vices suas.

47. — 1230, *mad.* 11, *III, in lobia palatii episcopi Laudae.* Vignati, *Cod. Dipl. Laud., II,* 304.

Episcopus, habito consilio, pronunciat non debere sindicum Cremonae stare nec respondere, coram se, A. Salvatico; qui appellat ad archiepiscopum Mediolani.

✝ Anno ab incarnatione domini nostri Ieshu Christi millesimo ducentesimo trigesimo, undecimo die intrante madio, indictione tertia. Cum lis seu controversia verteretur coram domino O. episcopo laudensi auctoritate ordinaria inter dominum Anselmum Salvaticum, actorem ex una parte, et Leonardum de Casamala sindicum comunis Cremone nomine ipsius comunis, reum ex altera, que controversia talis erat. Petebat enim et significabat predictus dominus Anselmus infrascripto modo: Anselmus Salvaticus, quondam civis cremonensis nunc vero trecensis, cruce signatus, quod in diocesi laudensi apud Castrum novum de Bucca Adue, veteri castro destructo, novum quod appellatur roccam Castri novi extruxerunt castrum, cuius fossata et teragia ipsorum fossatorum occupaverunt predicti Cremonenses, de terra quam ipse tempore quo dicta fossata fieri fecerunt pacifice possidebat, circiter perticas viginti duas et tabulas sedecim et mediam casamentorum; propter que etiam in domibus et aliis dampna passus est usque ad mille libras imperialium; nec humiliter pluries ab ipso requisiti et etiam auctoritate domini Pape moniti voluerunt eidem in aliquo satisfacere super premissis, quamvis Conscilium Cremone ad campanam pulsatam, quod tenentur etiam iuramento servare, consenserit, ut ipse asserit etiam in publico instrumento contineri, quod comune omne dampnum quod occasione dictorum fossatorum incurrerat eidem restitueret; preterea ut afflicto maior adderetur afflictio, non servando iuramentum statuti Cremone, quo tunc temporis continebatur, ut dicit, ne aliquem ordine iudiciario pretermisso sua possessione privarent, eundem absentem et ignorantem spoliarunt aliis casamentis, que similiter pacifice possidebat inter dicta fossata et burgum veteris castri predicti, nec eidem satisfacere voluerunt pro eis nisi in tercia parte precii, quod statuerunt eo ignorante et sic etiam invito minus dimidia iusti precii, ac taliter spoliatum nec restitutum induxerunt ad venditionem non spontanee faciendam ipsorum sediminum. Quia propter, cum preter ius comune quo ex officio in modum denuntiationis super tali excessu iuxta statuta Consilii generalis procedere posset et deberet predictus dominus episcopus, ut dicebat dictus Anselmus, et etiam iuri civili data sit iurisdictio episcopis locorum super exhibenda iustitia etiam laicis compellenda eos qui sunt superiores in iurisdictione laicali si eisdem iniuriantur, specialiter teneantur prefatus dominus episcopus et alii ecclesiarum prelati cruce signatos cum omnibus ad ipsos legittime pertinentibus in iustitia sua defensare, ipsi episcopo premissa in diocesi laudensi a Cremonensibus in ipsum commissa denuntiando, supplicavit prefatus Anselmus et etiam petiit, quatinus ex officio ipsius episcopi, quod super hoc imploravit, procedendo secundum quod ius exigit in tali casu, ipsos per censuram ecclesiasticam compelleret eidem satisfacere super premissis, cum ipse esset paratus coram iamdicto episcopo, ad quem hec pertinent ratione situs rei et violente spoliationis ac iniuste detentationis, que in diocesi laudensi consistere et facta dicitur, probare quod predicti Cremonenses predictis

modis peccant et peccaverunt in ipsum, nec moniti ut debuerint ipsi satisfacere curaverunt. Ad que respondebat predictus sindicus, pro ipso comuni, non teneri dictum comune nec ipsum pro comuni super premissis sub examine predicti domini episcopi respondere, et quia dicebat ipsum comune non esse de iurisdictione predicti domini episcopi laudensis, et quia iam dictus dominus Anselmus porrexerat libellum prefato modo super premissis contra comune Cremone sub examine episcopi cremonensis, a quo episcopo cremonensi iam erat appellatum ad archiepiscopum mediolanensem; et ipso Anselmo dicente quod, si propter productum libellum episcopo cremonensi porrectum examen sepedicti episcopi laudensis declinare posset dictum comune, cavere debebat quod coram dicto archiepiscopo responderet, qui archiepiscopus appellationem prefati Anselmi interpositam ab episcopo cremonensi aprobavit. E contra predicto sindico dicente quod ad dictam cautionem non tenebantur nec respondere ibidem, cum ab ipso archiepiscopo ad sedem apostolicam appellasset. Auditis et intellectis diligenter allegationibus et rationibus utriusque partis et habito sapientum conscilio, predictus dominus episcopus pronunciavit predictum Leonardum sindicum predicti comunis nomine ipsius comunis vel ipsum comune non debere stare nec respondere dicto Anselmo super premissis sub examine predicti domini episcopi laudensis. Contra quod pronunciatum dictus Anselmus appellavit ad predictum archiepiscopum diem in crastino super hac statuendo. Lata est autem hec sententia in lobia palatii episcopatus laudensis; affuerunt ibi dominus Roglerius prepositus de Ripalta et Oliverius prepositus sancti Geminiani et presbiter Guido sancti Leonardi et presbiter Zanacius sancti Viti et Rizius de Sumaripa et presbiter Anzilerius, capellanus domini episcopi laudensis, et plures testes rogati.

† Ego Guidottus Fabarius palatii notarius predicte sententie interfui et eam rogatus feci et scripsi.

48. — 1230, *mad.* 13, *III, Mediolani.*

Archiepiscopus, de consensu A. Salvatici, absolvit sindicum Cremonae a processibus in modum denunciationis faciendis ab ipso Salvatico.

49. — 1230, *mad.* 20, *III, Cremonae.*

Archidiaconus Cremonae recipit litteras, quibus episcopus Placentiae praecipit ei et cantori, sub poena excommunicationis, quatinus citent cives et etiam commune, qui debent respondere abbati S. Sixti et A. Salvatico, et nunciat revocasse mandatum commissum praeposito S. Brigidae.

50. — 1230, *iun.* 11, *III, Cremonae, in quodam pontile episcopi.*

Episcopus Placentiae per litteras, quae dantur episcopo Cremonae, praecipit quatinus denunciet consilium et potestatem et Oddonem de Diviciolis excommunicatos et civitatem suppositam interdicto, quia die statuto non venerunt responsuri abbati S. Sixti et A. Salvatico.

51. — 1230, *id. id.*

Episcopus Placentiae praecipit episcopo cremonensi quatinus citet commune et omnes qui detinent bona A. Salvatici ad videndum testes quos idem Salvaticus, coram se, vult producere, et citet etiam aliquot testes.

52. — 1230, *iun.* 12, *III, Cremonae.*

Nuntius episcopi cremonensis citat potestatem et testes ad comparendum usque ad decem dies coram episcopo Placentiae.

53. — 1230, *iun.* 18, *III, in Castronovo Buccae Aduae. Ap.*

Potestas Petrus Bonus de Mediolano, consules Lantelmus Tempori, Iohannes Bonus Ferrarius et Gerardus Belizarius, et plurimi homines de Castronovo, constituunt Leonardum de Casamala sindicum in lite cum abbate S. Sixti et A. Salvatico.

54. — 1230, *iun.* 21, *III, Placentiae.*

Episcopus Placentiae revocat sententiam excommunicationis in commune Cremonae, quam, erroris causa, tulerat.

55. — 1230, *iun.* 27, *III, d. Placentiae.*

Episcopus Placentiae mandat praeposito S. Michaelis veteris de Cremona quatinus potestatem et consilium denunciet excommunicatos, nisi abbati S. Sixti et A. Salvatico, revocantes bannum contra eum, satisfaciant, quia citati non comparuere, et iterum eos citet, et testes quoque excommunicet qui culpabiles inveniantur.

56. — 1230, *iun.* 30, *III, d. Placentiae.*

Episcopus mandat praeposito S. Michaelis de Cremona, quatinus, si dubitat

sine istructione unius sapientis procedere, statuat Salvatico et Communi diem in loco tuto, videlicet apud Roncarolum.

57. — 1230, *iul., III, d. Placentiae.*

Episcopus, sub poena excommunicationis, rursus praecipit praeposito S. Michaelis quatinus audiat testes et procedat in causa Salvatici, citet Commune apud Placentiam coram se, et compellat consilium et potestatem ut cessent ab indebitis molestationibus contra Salvaticum.

58. — 1230, *iul. 7, III, in loco Roncaroli.*

A. Salvaticus porrigit litteras supradictas praeposito S. Michaelis.

59. — 1230, *sept. 4, III, Placentiae, in palatio episcopi.*

Sindicus Cremonae confitetur quod episcopus laudensis remisit papae causam inter Cremonam et abbatem S. Sixti.

60. — 1230, *id. id.*

Episcopus Placentiae, cuius iudicium sindicus Cremonae ut suspectum recusabat, remittit delegationem causae, secundum quod scripsit praeposito S. Egidii et Hugoni de Comitibus cremonensibus (aug. 26), scilicet idoneae personae vel pontifici.

61. — 1230, *id. id.*

Episcopus, ex petitione sindici S. Sixti, remittit causam pontifici.

62. — 1230, *id. id.*

Sindicus Cremonae illico appellat ad pontificem.

63. — 1230, *id. id.*

Episcopus praefigit terminum sindico Cremonae ad prosequendam appellationem coram papa.

64. — 1230, *id. id.*

Sindicus, sentiens se gravatum esse in hoc termino, appellat ad papam.

65. — 1230, *sept. 23, d. Anagniae, a. 4°. Ap.*

Gregorius IX mandat abbati et magistro Stephano priori de Castiono parmensis dioecesis et praeposito parmensi quatinus conventum S. Sixti et commune Cremonae inducant ad compositionem amicabilem, si poterint, vel procedant in causa.

66. — 1230, *sept. 27, IV, Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

Abbas et fratres constituunt Leonardum Vicedominum monacum, Anselmum Salvaticum et Guidonem de Bellavilla clericum, sindicos apud Curiam Romanam.

67. — 1230, *oct. 17, IV, Cremonae.*

Anselmus Salvaticus porrigit litteras abbatis de Castelione et praepositi parmensis praeposito S. Egidii et Hugoni de Comitibus canonico Cremonae, quibus eis praecipiunt quatinus statuant terminum communi quod apud Castellionem se repraesentet.

68. — 1230, *oct. 21, IV, Cremonae, in uno pontile ecclesiae maioris.*

Episcopus Placentiae praecipit cantori, praeposito S. Egidii et Hugoni de Comitibus, per litteras quas accipiunt ab A. Salvatico, quatinus in singulis diebus dominicis faciant publicari sententiam excommunicationis in potestatem et consiliarios. (Cfr. 1230, iun. 27).

69. — 1230, *nov. 20, IV, in palatio Cremonae.*

A. Salvaticus postulat a potestate, pro tribunali sedente, quod faciat sibi rationem; qui respondet quod eligerat sindicum ad hoc.

✝ In Christi nomine. Millesimo CC XXX, indictione quarta, die mercurii undecimo exeunte novembri. In presentia Rogerii Mariani, et Iacobi Iohannis de Conrado et Iacomini Salvatici, et aliorum multorum, publice in palatio communis Cremone, Anselmus Salvaticus dixit domino Bernardo Rolandi Rubei, tunc cremonensi potestati atque sedenti pro tribunali more et loco atque hora consuetis: Domine, ex quo placuit vobis et illis quadraginta probis viris, quos elegistis de consilio comunis Cremone ad tractandum super negotio quod habeo contra commune Cremone, michi respondere, quod parati estis michi facere rationem

super casamentis que michi abstulit comune Cremone apud Castrum novum Bucche Abdue et dampnis et expensis que et quas propter hoc incurri, placet michi hoc modo, videlicet quod cum sit publicum et notorium omnibus tam habitatoribus dicti Castri quam etiam civibus qui ipsum frequentare consueverunt, quod commune Cremone abstulit michi et detinet casamenta que apud dictum Castrum habebam aquisita, si eadem michi restituere non vultis, solvatur michi pretium quo eadem exstimabo per iuramentum sive taxacionem; pro dampnis vero et expensis tantum michi solvatur quanto exstimabo ea similiter per iuramentum, taxacione tamen in hoc articulo legitima precedente; ad que iuramenta prestanda me offerro paratum. Si vero negocium vultis deducere ad formam iudicii, quamvis non habeat locum, tamen et illut recipio, dummodo inter certum tempus illut fiat; ita quod si infra illut tempus non feceritis michi iustitiam super premissis, tunc sim in eo statu in quo sum modo quo ad forum seu auctoritatem ecclesie; et ante omnia revocetis banna et publicationem bonorum meorum et alia impedimenta, quibus possem impediri petere racionem coram vobis, maxime occasione statuti facti iam dicto negotio pendente in foro ecclesie, quo cavetur ne alicui condempnato seu dampnificato per potestatem vel consules seu aliquem officialem unquam aliquo tempore racio fieri debeat ex quo illa condempnacio devenit in comuni Cremone. Et si banna revocare non vultis neque publicationem bonorum, liberetis me a securitate quam vobis feci de observandis preceptis vestris que bene servavi et adhuc paratus sum audire et observare sicut debebo et potero, si amplius vultis michi precipere; debita preterea mea solvatis si bona mea ut publicata comuni retinere vultis. Et quid super hoc facere vultis habeatis consilium et michi respondeatis; et hoc vobis denuncio. Quibus taliter propositis a dicto Anselmo respondit dictus potestas: non dico vobis, neque scio neque video quod sitis vel non in banno et quod bona vestra sint vel non publicata; sed istut solum dico vobis et nichil aliut faciam nisi quod vobis faciam rationem velociter et cito, non statuto aliquo tempore ad hoc, et creavi bonum et fidelem sindicum propter hoc et habeo plenam potestatem a comuni faciendi vobis racionem non obstante banno vel alio impedimento. Et suprascriptus Anselmus respondit: Domine, si habetis, faciatis michi copiam ut possim inde habere instrumentum ad hoc probandum si opus fuerit. Et tunc respondit potestas surgendo: non faciam, sed incipiatis causam vestram et ea incepta ostendam vobis bonum instrumentum super hoc et faciam quod debebo. Et tunc ipsi potestati recedenti prefatus Anselmus dixit tunc tarde esset: non reputo michi satisfactum, sed procurabo ius meum pro ut melius potero.

Actum est hoc in palacio comunis Cremone.

† Ego Guazolinus de Botonis, cremonensis sacri palatii notarius, hiis omnibus interfui et hanc cartam rogatus feliciter scripsi.

(XI intrante novembri fuit oblata Cremone?).

70. — 1230, *nov.* 29, *IV, in burgo Placentiae.*

A. Salvaticus constituit quinque procuratores qui compromittant in Homobonum episcopum Cremonae et Bernardum Rolandini Rubei potestatem de omnibus querelis quas ipse et conventus S. Sixti habent cum Communi.

71. — 1230, *dec.* 7, *IV, apud ecclesiam monasterii Castellionis.*

Guilielmus Rocarius clericus porrigit abbati et priori de Castelliono epistolam, qua abbas S. Sixti ipsos rogat ut alium terminum et alium locum tutum in placentina dioecesi sibi statuant, quum potestas Cremonae et quidam mercatores parmenses velint sindico suo facere iniuriam si apud Burgum S. Donini venerit; et latorem epistolae constituit procuratorem ad appellandum ad pontificem si eum non exaudiant.

72. — 1230, *id. id.*

Guilielmus Rocarius iurat quod ita erat ut in praedictis litteris continetur.

73. — 1230, *dec.* 8, *IV, apud ecclesiam Castellionis.*

Prior monasterii ostendit litteras praepositi parmensis quibus dicit non posse venire apud Burgum S. Donini.

74. — 1230, *id. id.*

Prior et abbas dicunt quod nolunt mutare locum; unde procurator S. Sixti appellat ad pontificem.

75. — 1231 (1230 *inc.*), *ian.* 13, *IV, Placentiae, in curte episcopi.*

Episcopus dicit quod receperat litteras episcopi et praepositi S. Michaelis Cremonae, qui nunciant fecisse quod praeceperat et rogant ut mitius agat cum Communi et potestate Cremonae.

76. — 1231 (1230 *inc.*), *ian.* 20, *IV, Cremonae.*

Episcopus et praepositus S. Michaelis accipiunt ab A. Salvatico epistolam ex

parte episcopi placentini, qua eis mandat ut diem peremptorium statuant Communi quo veniat apud Placentiam pro negotio A. Salvatici.

77. — 1231, *mad.* 4, *IV, Cremonae.*

Potestas constituit nuncium qui denunciet A. Salvatico ut Cremonam veniat auditurus sententiam; et nuncius haec denuntiat 9 mai. Parmae, et dat ei plenam fidanciam eundi et redeundi.

78. — 1231, *iun.* 2, *IV, Cremonae.*

Episcopus parmensis et abbas Fontisvivi iudices praecipiunt per litteras praeposito S. Michaelis de Cremona quatinus compellat potestatem et quadraginta de consilio electos in principio regiminis sui, scilicet iul. 1230, ad tractandum negotium A. Salvatici, ut iurent de veritate dicenda coram Uberto de Aldegheriis iudice, quem ipsi Cremonam mittunt. — Huiusmodi litterae dantur ab Hugolino notario, qui, tamquam procurator A. Salvatici, eodem die se repraesentat coram praedicto iudice.

79. — 1231, *iun.* 3, *IV, Cremonae, in quodam pontile episcopi.*

Episcopus certificat Ugolino notario quod praepositus S. Michaelis executus est mandatum suum.

80. — 1231, *id. Cremonae.*

A. Salvaticus, in epistola quae datur Uberto de Aldegheriis, petit ut procedat in causa etiamsi potestas et quadraginta consiliarii nolint praestare iuramentum.

81. — 1231, *iun.* 13, *IV, Parmae.*

Episcopus parmensis et abbas Fontisvivi committunt vices suas in causa inter sindicum Cremonae et Salvaticum archidiacono parmensi.

82. — 1231, *iul.* 8, *IV, Cremonae.*

Episcopus Cremonae recipit epistolam parmensis episcopi et abbatis Fontisvivi, qui, memorantes sententiam promulgatam in causa A. Salvatici, praecipiunt ei quatinus Commune moneat ut A. Salvatico satisfaciat super his in quibus condemnatum fuit.

83. — 1231, *iul.* 15, *Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

A. Salvaticus constituit procuratorem ad requirendum a communi Cremonae ut, ex sententia episcopi parmensis et abbatis Fontisvivi, revocet banna et publicationes bonorum contra se factas.

84. — 1232 (1231 *inc.*), *febr.* 4, *V, Cremonae, ante ostium palatii.*

Litterae abbatis et prioris de Castilione et praepositi parmensis iudicum ad assessores potestatis Cremonae, quibus statuunt terminum Communi ut compareat apud Hospitalem super Onginam, dantur uni ex assessoribus, qui nuncium vituperat.

85. — 1232 (1231 *inc.*), *febr.* 13, *V, in loco Castellionis.*

Presbiter Bonus, sindicus S. Sixti, se repraesentat coram abbate Castellionis iudice.

86. — 1232 (1231 *inc.*), *id. id.*

Litterae, quibus praepositus parmensis committit vices suas abbati et priori de Castellione.

Litterae quibus prior de Marcharia delegat vices suas abbati de Castellione.

Huiusmodi litterae dantur a sindico S. Sixti praedicto abbati, qui tunc recusat procedere in causa et ire apud Hospitale super Onginam; quare sindicus appellat ad pontificem.

87. — 1232, *sept.* 17, *V, Parmae.*

Litterae abbatis Castellionis et prioris de Marcharia, quibus praeposito parmensi delegant vices suas, dantur eidem praeposito.

88. — 1232, *sept.* 24, *VI, Cremonae.*

Episcopus Cremonae recipit litteras praepositi parmensis qui ei mandat quatinus inducat Commune ad amicabilem compositionem cum monasterio S. Sixti, vel citet ad comparendum apud Parmam.

89. — 1232, *oct.* 7, *VI, Placentiae. Ap.*

Leonardus abbas et monaci S. Sixti constituunt Iacobum de Calenzano monacum sindicum coram praeposito Parmae.

90. — 1232, *oct.* 9, *V, Parmae.*

Sindicus S. Sixti se repraesentat coram praeposito Parmae.

91. — 1232, *oct.* 20, *VI, Cremonae.*

Episcopus Cremonae recipit litteras praepositi Parmae iterum iniungentis quatinus citet commune ad veniendum apud Parmam.

92. — 1232, *oct.* 22, *VI, Cremonae.*

Litterae praepositi Parmae dantur episcopo Cremonae quibus ei praecipit, sub poena excommunicationis, ut terminum peremptorium statuat communi.

93. — 1232, *nov.* 3, *V, Parmae.*

Nicolaus Blancorum ostendit instrumentum quo constitutus fuit sindicus a communi Cremonae.

94. — 1232, *id. id.*

Praepositus Parmae statuit terminum eidem sindico.

95. — 1232, *nov.* 17, *VI, Placentiae. Ap.*

Fratres S. Sixti constituunt abbatem sindicum suum.

96. — 1232, *nov.* 19, *V, Parmae.*

Praepositus sententiat legitimam esse suspicionem contra se allegatam a sindico Cremonae, si probabitur, et dicit paratum esse ad committendam hanc causam arbitris.

97. — 1232, *id. id.*

Abbas S. Sixti eligit arbitrum in causa suspicionis.

98. — 1232, *id. id.*

Praepositus praefigit terminum et locum arbitris electis ab abbate S. Sixti et Guidone Gabo, sindico Cremonae.

99. — 1232, *id. id.*

Praepositus statuit terminum abbati S. Sixti et sindico Cremonae coram se, si non fuerit probata causa suspicionis.

100. — 1232 (*senza data*). *Ap.*

Litterae abbatis Castellionis ad praepositum parmensem quibus confirmat ei in toto commisisse vices suas, et ratum habere omne factum, contra exceptiones sindici Cremonae.

101. — 1233, *febr.* 5, *VI, Parmae.*

Praepositus parmensis praefigit terminum communi Cremonae.

102. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 5, *VI, Cremonae.*

A. Salvaticus et illi qui ab eo emerant vel acceperant terras vendunt magistro Ugoni de Platena, massario pontis Padi, nomine communis, omnes terras, casas, iura, etc. quae habent in locis Castri novi de Buca Aduae, Meletae, Spinetae, Cornu et Lardariae pro 3374 libris denariorum bonorum imper. (1).

103. — 1233, *id. id.*

A. Salvaticus, consensu et praesentia parium curiae et vassallorum suorum, investit honorifice per feudum magistrum Ugonem de tota decima et decimaria et iure decimationis quod et quam habet in locis praedictis. Promittit insuper quod non petet a dicto Ugone iuramentum fidelitatis nec appellabit vassallum suum nec unquam eum inquietabit, sed feudum erit perpetuum.

(1) Erano 86 pezze di terra, più 31 tenute in affitto, e 6 pertiche di case. Il prezzo fu 3350 lire di denari imperiali per le terre, più 24 per le 6 pertiche di case. Se si troveranno più o meno terre si computeranno in ragione di 9 lire per iugero.

104. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 22, *VI, Placentiae.*

Abbas et fratres S. Sixti promittunt A. Salvatico, stipulanti nomine communis Cremonae, quod observabunt compositionem et arbitratum quem faciet praepositus parmensis super Castro novo de Buca Aduae.

105. — 1233, *id. id.*

Fratres constituunt abbatem sindicum ad praedicta.

106. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 23, *VI, Parmae.*

Abbas S. Sixti promittit Bernardo praeposito parmensi observare quidquid ipse iudicabit, tamquam amicabilis compositor, super facto Castri novi; et A. Salvaticus, nomine communis Cremonae, promittit eidem praeposito se facturum ita quod commune solvat monasterio S. Sixti summam quam ipse statuerit.

107. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 23, *VI, Parmae.*

Litterae leguntur quibus abbas de Castellione et prior de Marcharia committunt vices suas praeposito parmensi.

108. — 1233 (1232 *inc.*), *id. id.*

Sententia lata a praeposito parmensi, quod monasterium S. Sixti faciat finem et refutacionem de omnibus suis iuribus in Castro novo Bucae Aduae et commune Cremonae solvat ei 500 libras den. placent.

109. 1233 (1232 *inc.*), *id. id.*

Post sententiam praepositi, abbas S. Sixti confirmat data iurium et rationum et fines factas ab A. Salvatico communi Cremonae, die 5 feb., et finem facit de omnibus litibus, et omnia iura et iurisdictiones, quas monasterium habet in Castro novo, cedit eidem Salvatico, nomine Cremonae, pro 500 libris den. placent.

110. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 24, *VI, Castellionis.*

Abbas Castellionis, ad instantiam abbatis S. Sixti et A. Salvatici, dicit firmam habere compositionem initam inter commune Cremonae et monasterium S. Sixti.

111. — 1233 (1232 *inc.*), *febr.* 25, *VI. Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

Instrumentum quo abbas et monasterium S. Sixti confirmant fines quas fecerat A. Salvaticus communi Cremonae, 5 febr., et eidem, nomine Cremonae recipienti, cedunt omnia iura et faciunt fines de Castronovo, ut in die 23 febr.

112. — 1233 (1232 *inc.*), *id. id.*

Abbas et fratres S. Sixti faciunt Iacobum de Calenzano monacum et A. Salvaticum sindicos ad impetrandum a D. Papa confirmationem compositionis factae cum Cremona.

113. — 1233, *mart.?* (*senza data*).

Litterae Leonardi abbatis S. Sixti ad A. Salvaticum quibus, inter coetera, ei mandat ut super facto S. Agathae faciat secundum quod ei miserunt et de facto illius de Pozolto secundum quod ei placuerit.

114. — 1233, *mart.* 30, *VI, Cremonae, in claustro S. Agathae. ASA.*

Compositio et transactio inter Wilielmum Rocharium, procuratorem S. Sixti de Placentia, ex una, et praepositum S. Agathae Cremonae, ex altera, consensu Anselmi Salvatici procuratoris comm. Cremonae. Monasterium S. Sixti facit finem ecclesiae S. Agathae de omnibus iuribus in Castronovo Bucae Aduae, curte Meleti et Lardariae (iam acquisitis ab ecclesia S. Agathae, 1194, 13 et 14 dec)., praeterquam de illis quae tangunt dominium seu iurisdictionem seu honorem curtis Castri novi seu rochae seu burgi seu territorii, de quibus iam fecit datum, per amicabilem compositionem, dicto A. Salvatico, nomine comm. Cremonae (febr. 25 1233). Ecclesia S. Agathae facit refutationem dicto sindico Cremonae de eo quod datum ei fuerat, per supradictam amicabilem compositionem, a Leonardo abbate S. Sixti; hoc tamen pacto quod ecclesia S. Agathae sit in perpetuo immunis ab omni praestacione tam ficti quam sortariae, quae reperirentur debite deberi

monasterio S. Sixti aut Communi; et promittit insuper dare dicto Wilielmo Rochario, stipulanti nomine S. Sixti, totum illud quod A. Salvaticus arbitrabitur, postquam obtenta fuerit confirmatio a D. Papa super hac transactione.

115. — 1233, *apr.* 17, *VI, Cremonae.*

Filiae quondam Arcimani de Salico, consensu virorum, constituunt se possestrices vel quasi possestrices pro Ugone de Platena, massario Pontis Padi, faciente et recipiente nomine communis Cremonae, de eo toto quod pater earum quondam acquisivit ab A. Salvatico in loco Castri novi et finem faciunt et pactum de non petendo communi, et omnia iura et iurisdictiones cedunt.

116. — 1234, *ian.* 3. *d. Laterani, a.* 7°. *Ap.*

Litterae Gregorii IX ad episcopum placentinum quatinus confirmet compositionem initam inter commune Cremonae et monasterium S. Sixti, si utilem et sine pravitate invenerit, et attentius curet conversionem pecuniae acceptae ad utilitatem monasterii.

117. — 1234, *ian.* 10, *a.* 7° (*Laterani*). *ASA. Ap.*

Bulla Gregorii IX parmensi episcopo qua mandat ut, inquisita compositione inita, 1233, 30 mart., inter monasterium S. Sixti et ecclesiam S. Agathae in lite coram episcopo placentino a papa delegato, eam confirmet, si utilem et sine pravitate invenerit.

118. — 1234, *febr., d. Placentiae* (*senza data*).

Litterae episcopi Placentiae ad episcopum parmensem cui vices suas committit (V. a. 1234, ian. 3).

119. — 1234 (1233 *inc.*), *febr.* 24, *VII, Cremonae.*

Litterae episcopi parmensis, qui statuit terminum communi Cremonae ut mittat sindicum Parmam, dantur potestati.

120. — 1234 (1233 *inc.*), *mart.* 9, *VII, Parmae. ASA.*

Episcopus parmensis confirmat compositionem, de qua sub anno 1234, ian. 10.

121. — 1234, *apr.* 6, *VII, Cremonae.*

In pleno consilio, convocatis etiam officialibus communis Cremonae, iudicibus et notariis atque consulibus paraticorum et viciniarum Potestas et consilium creant A. Salvaticum sindicum ad recipiendam confirmationem compositionis cum monasterio S. Sixti ab episcopo placentino et parmensi.

122. — 1234, *apr.* 7, *VII, Placentiae. Ap.*

Monaci S. Sixti constituunt abbatem sindicum coram episcopo parmensi pro confirmatione compositionis.

123. — 1234, *apr.* 10, *VII, in palacio episcopi parmensis.*

Praesentibus abbate S. Sixti et A. Salvatico, procuratore Cremonae, episcopus confirmat compositionem factam inter Cremonam et conventum S. Sixti, praecipiendo communi Cremonae ut solvat 500 libr. placentinorum bonorum, quas debet, et abbati ut eas convertat in utilitatem monasterii.

124. — 1234, *mad.* 2, *VII, Placentiae, in monasterio S. Sixti.*

Sindicus Cremonae solvit 432 libras et 10 soldos et 4 denarios denariorum bonorum imper. pro 500 libris denariorum placentinorum, et abbas et monaci ei faciunt finem et refutacionem.

125. — 1234, *mad.* 3, *VII, in castro Florenzolae.*

Episcopus placentinus, ad postulationem sindici Cremonae, confirmat compositionem cum conventu S. Sixti.

DOCUMENTI DELLA LITE

CON

BONINO MOMMOLERIO DI ASTI

1224-1230.

1. — 1224 (1223 *inc.*), *mart.* 22, *XII, Cremonae. Ap.*

Guilielmus Cervus constituit procuratores ad petendum a comuni Cremonae per se et suos socios omnes naves quae necessariae fuerint ad adducendum blavam et legumina Cremonam et ad petendum solutionem de dictis navibus.

2. — 1224, *mad.* 15, *XII, Cremonae, in palatio.*

Sententia lata a Torsello, iudice potestatis, super damnis quae dicebant habuisse et repetebant a communi Cremonae Wilielmus Cervus et socii occasione trium navium cum blava, leguminibus et aliis victualiis, quas duxerunt Cremonam.

✝ Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigessimo quarto, indictione duodecima, die quintodecimo intrante madio, in pallatio communis Cremone, presentibus testibus infrascriptis.

Ego dominus Torsellus, iudex et advocatus domini Rolandini potestatis communis Cremone, cognoscens ex officio meo super dampno quod dicebant Wuilielmus Cervus et Ubertus de Bosasscho et Egidius Bellamarius et Albertonus Oculus de Beccho et Zoannes de Boaterio et Otto Zoppo de Valenza se habuisse occasione blavis quam duxerunt et ducere debebant de alieno episcopatu ad civitatem Cremone, et quod dampnum petebant a communi, dicendo predicti Wuilielmus et socii se habuisse promissionem a communi Cremone de restituendo eis omne dampnum quod haberent de dicta blava si non adquireretur eis fidantiam a communi Papie et Placentie; et unde predicti dicebant se habuisse dampnum occasione blave quam ducebant ad Cremonam, et ea occasione quia commune Cremone non fecit eis dare fidantiam a Papiensibus ut dicebant, et ea occasione quia commune Cremone non attendit illud quod eis erat promissum per commune Cremone, et per illos qui promittebant pro communi Cremone. In primis dicebant se habuisse dampnum pro tribus navibus que fuerunt detente et intromisse per commune Papie et steterunt ibi per viginti tres dies, et dicebant se denunciasse potestati Cremone et superstantibus ante suprascriptam intromissionem et post quod adquireretur eis fidantiam a Papia, et quod potestas Cremone misit ambaxatores Papie, et quod ipsi non potuerunt habere fidantiam nec facere distromitti dictam blavam, et quod dederunt et solverunt pro duabus navibus de suprascriptis videlicet pro nave Clerici de la Petra et Iohannis boni Dardanisii pro stalia dederunt et solverunt decem libras et VIIII soldos et dimidium Papie et plus. Item sedecim soldos et dimidium imper. quos dederunt et solverunt pro conducentibus predictas naves, et aliam tertiam navem conduxerunt pro qua debent dare et solvere novem libras infortiatorum, secundum quod dabatur pro qualibet alia navi, et pro stalia predicte navis dederunt et solverunt quinque libras et duos soldos papienses. Item dicunt quod Belengnegnerii de Balsegnana qui morantur in episcopatu Papie et districtu abstulerunt sibi violenter septem libras papienses, nec alias dimiserunt eos ire per aquam Padi, et hoc fuit in episcopatu Papie. Item dicunt quod naves suprascripti Clerici et Iohannis boni de Dardanis non potuerunt ducere usque ad Casale Salvaticum, ad quem locum ducere debebant causa honerandi, propter paupertatem aque Padi, et ideo conduxerunt naves parvas et duxerunt blavam in predictis navibus, quare dederunt et solverunt octo libras et XII soldos papienses. Item dicunt quod suprascripti Albertonus et Iohannes Boaterius, existendo Papie et custodiendo naves occasione intromissionis, expendiderunt triginta quinque soldos et dimidium papienses. Item expendiderunt XXII

soldos papienses eundo et redeundo Cremonam, et denuntiando potestati Cremone quod deliberaret naves que erant intromisse Papie. Item IIII soldos imperial. in alia parte quos expendiderunt Cremone quando petebat potestas. Item alia vice quando venerunt ad predictam potestatem expendiderunt V soldos papienses in comestione. Item II soldos quos dederunt in uno instrumento Papie, quod instrumentum debebat defferri potestati Cremone. Item quod dederunt III soldos minus I denarium uni nuntio quem potestas Papie misit ad custodiendum naves, et preceperunt ei ut acciperet tantum de frumento quod esset bene solutus. Item V soldos quos expendiderunt in illo die in comestione. Item III soldos quos dederunt uni nuntio qui ivit cum nautis ad dicendum potestati Papie quod non faceret duci naves ad civitatem Papie, quod ipsa potestas noluit. Item sestarium unum spelte quod abstulerunt ei nuntii communis Papie. Item expendiderunt in aliis partibus Otto Zoppus et Iohannes Caballus de Valenza pro retentione et intromissione que facta fuit Papie, in primis XXXVIII soldos papienses quos expendiderunt in comestione ibi existendo ad custodiendum naves. Item XI soldos imper. quos expendiderunt in eundo et redeundo Cremonam, ut potestas deliberaret naves predictas. Item predictus Wuilielmus Cervus expendidit quando naves predictas retente fuerunt, ut veniret Cremonam ad petendum potestatem ut deliberaret dictas naves, dedit et solvit in pastura duorum equorum XII soldos papienses. Item eundo et redeundo tunc cum ambaxatoribus inter se et socios suos XX soldos papienses. Item predictus Wuilielmus cum sociis suis, videlicet cum Uberto de Bosascho, expendiderunt VI libras papienses custodiendo naves eundo et redeundo Papiam, et ibi stando. Item dicunt quod in illis tribus navibus que fuerunt detente Papie erant centum XXXV modia frumenti, et tunc temporis si non essent detente quod venissent Cremonam, frumentum fuisset venditum sex soldos imperial. pro quolibet sextario et tantum vendi potuisset et plus et ita comuniter vendebatur, et cum venerunt a Papia non vendebatur neque vendi poterat nisi IIII soldos quolibet sextario; unde dampnum suum est XX soldos ad rationem imperialium de quolibet modio. Item quod in predictis tribus navibus erant XVI modia siliginis que tunc temporis quando detente fuerunt vendebatur et vendi poterat pro quolibet sextario V soldos et dimidium in civitate Cremone, et cum venerunt a Papia non potuit vendi nec vendebatur nisi III soldos et dimidium; unde suum dampnum est XV sold. imperial. de quolibet modio. Item erat in predictis navibus XII modia fabe que vendebatur et valebat pro quolibet sextario V soldos et dimidium in civitate Cremone et tantum vendita fuisset tunc temporis si venisset Cremonam, et quando venerunt non vendebatur nisi XL denarios sextario; unde suum dampnum de quolibet modio XX sold. imperial. Item erat in predictis navibus duo modia spelte que vendi potuisset III sold. imperial. pro quolibet sextario si venissent, et tantum valebat, et postea quando venerunt non valebat nisi II soldos nec plus vendi poterat; unde suum dampnum est de quolibet modio X sold. imperial. Item erat in predictis navibus VII modia castanearum et tunc vendebatur sextario Cremone VIIII soldos imperial. et si dicte naves venissent que non fuissent intromisse tantum habere potuissent, et eo tempore quo venerunt naves non valebat sextario nisi IIII soldos et dimidium; unde suum dampnum est XL sold. imperial. de quolibet modio et plus. Item quod ipsi dederunt in quolibet sextario frumenti ibi ubi ipsum emerunt X soldos papienses et plus in quolibet sextario, et in quolibet sextario siliginis VIII sold. papienses et plus, et in quolibet sextario leguminis VIII sold. papienses.

Unde visis allegationibus et responsionibus et testibus et instrumentis a predicto Vuilielmo et sociis productis et ostensis, ita pronuntio in scriptis, habito sapientum conscilio: quod detur Wuilielmo Cervo et sociis, scilicet Uberto de Bosascho et Egidio Belamario et Ottoni Zoppo et Iohanni Boaterio et Albertano Oculo de Beccho, pro se et aliis suis sociis, V libre et II soldi papienses, minus II papienses, pro expensis factis in duobus hominibus de XXIII diebus quando steterunt Papie, pro navibus tribus suprascriptis que fuerunt detente et intromisse, et pro expensis factis quatuor hominibus de XII diebus quibus steterunt Papie pro dicta occasione; ab aliis petitionibus et dampnis quod dicebant se habuisse pronuntio dictum commune non teneri nec debere restituere aliquid eis.

Ibi fuerunt Albertus et Omnebonum de Brodolano et dominus Guiderisius Gualdomanis et Gabriel Borinus et Grasus Corarius et Rumanus de Frogneriis, rogati testes.

✝ Ego Lanfrancus de Botaiano domini Henrici imperatoris notarius interfui, et hanc cartam rogatus scripsi.

3. — 1224, *mad.* 31, *XII, in ripa Padi, Cremonae.*

Ubertinus correrius et nuncius Torselli iudicis mensurat blavam Guilielmi Cervi et Bonini de Aste et sociorum quae erat in navi.

4. — 1224, *iun.* 25, *XII, in scala palatii, Cremonae.*

Boninus de Momolerio de Aste, nomine suo et sociorum, petit a potestate et assessoribus eius ut restituantur sibi et sociis suis omnes expensas et damna quae habuerunt occasione navium quas duxerunt Cremonam, ut facere tenentur per quoddam publicum instrumentum.

5. — 1224, *iul.* 1, *XII, Cremonae, in curia palatii potestatis.*

Eadem postulatio facta a praedicto Bonino.

6. — 1224, *id. id.*

Torsellus iudex promittit Bonino facere ei rationem.

7. — 1224, *iul.* 3, *XII, Cremonae.*

Praedictus Boninus postulat a potestate ut faciat sibi rationem.

8. — 1224, *iul.* 4, *XII, Cremonae.*

Boninus eadem denuo postulat.

9. — 1226 (1225 *inc.*), *ian.* 16, *XIV, Cremonae, in pleno consilio.*

Potestas ponit in consilio quid volebant et eis placebat de facto blavae Bonini de Aste et sociorum; consilium dicit quod eis ratio fiat pro communi.

10. — 1226 (1225 *inc.*), 20 *febr. XIV, Cremonae, in pleno consilio.*

Iudex potestatis petit a consilio si ei placet dare licentiam potestati ut teneat placitum Bonini de Aste et sociorum, et consilium assentit.

11. — 1226 (1225 *inc.*), 21 *febr., XIV, Cremonae.*

Potestas delegat placita Bonini de Aste et Guilielmi Cervi et aliorum in Riprandino suo iudice.

12. — 1227 (1226 *inc.*), *febr.* 11, *Cremonae.* Böhmer, *op. cit.*, 829, *c* Carutti, *Reg. Comitum Sabaudiae, pag.* 181.

Litterae Thomasii comitis Sabaudiae et marchionis in Italia atque legati imperatoris per totam Italiam et marchiam Trivixii ad Cremonenses (1226), quibus praecipit ut iustitiam faciant Bonino de Montemolerio Astensi, dantur ab ipso Bonino Bernardino de Pio potestati.

13. — 1227 (1226 *inc.*), *febr.* 28, *XV, Cremonae.*

Potestas nunciat Bonino quod paratus erat pro communi facere solvere ei quidquid debebat.

14. — 1227, *apr.* 1, *XV, in palatio potestatis cremonensis.*

Ambaxator comunis Astae postulat a potestate ut faciat rationem Bonino, secundum quod proposuerat in credentia.

✝ In Christi nomine. Anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vigesimo VII, indiccione quintadecima, uno die iovis primo intrante mense aprilis, in pallacio in quo potestas cremonensis moratur, presentibus testibus scilicet Widone iudice potestatis Cremone, et domino Obizone eius milite, et domino Lanfranco clerico sancti Martini. Ibi dominus Astesanus canonicus ecclesie sancti Secundi astensis, vice et nomine sui communis, cuius ambaxator erat sicut dicebat, postulavit a domino Bernardo potestate Cremone, ut sibi responderet debite vel de facto Bonini civis astensis, secundum quod prefatus dominus Astesanus proposuerat in credentia cremonensi ipsa die super hoc habita. Potestas vero respondit quod paratus erat solvere prefato Bonino novem libras imperial. pro quolibet centenario, sicut continetur in instrumento suo, et ipse dominus Astesanus dixit quod paratus erat recipere, salvo iure dicti Bonini et sociorum eius de dampnis habitis et expensis. Potestas autem dixit quod istud nullo modo faceret, nisi ipse Boninus renunciaret omni iuri suo et omnibus instrumentis quod vel que habet contra ipsum commune; quod dictus dominus Astesanus facere noluit, sed postulavit ab ipsa potestate quod faceret rationem dicto Bonino et reciperet testes suos quos paratus erat ostendere; et potestas respondit quod non faceret aliud quod dixerat supra, et hoc dicebat se habuisse pro consilio a credencia Cremone.

✝ Ego Iohannes Vita, notarius Frederici imperatoris, interfui et hanc cartam scripsi.

15. — 1227, *mad.* 5, *XV, Cremonae.*

Boninus de Montemolerio porrigit litteras communis Ianuae in manu Girardi de Sasola, iudicis potestatis, dicens ex parte communis Ianuae ut faciat sibi rationem.

16. — 1227, *mad.* 25, *XV, Cremonae.*

Boninus denunciat potestati, ex parte communis Astae, ut faciat sibi rationem.

17. — 1227, *id., id.*

Eadem denunciat ex parte communis Ianuae.

18. — 1227, *aug.* 7, *XV, Cremonae.*

Boninus de Montemolerio, nomine quoque socii sui, porrigit litteras Barocii de Burgo, potestatis astensis, postulantis ut ei faciant rationem, ad potestatem Cremonae.

19. — 1227, *id. id.*

Boninus porrigit litteras communis Ianuae potestati, a quo etiam postulat, ex parte eiusdem communis, ut faciat sibi rationem.

20. — 1227, *aug.* 22, *XV, Cremonae.*

Boninus per se et suos socios et ex parte communis astensis et ianuensis denunciat potestati et assessori eius ut faciant sibi rationem.

21. — 1228, *febr.* 5, *d. Laterani, a.* 1°. *Ap.*

Bulla Gregorii IX ad episcopum novariensem quatinus causam inter Cremonenses et Bonifacium de Mommoleriis audiat et decidat.

22. — 1228, *iun.* 18, *d. Perusii, a* 2°. *Ap.*

Bulla Gregorii IX ad abbatem S. Benedicti de Pado in Lirone et archidiaconum pergamensem qua iudices adiungit in causa inter Bonifacium astensem et Cremonenses.

23. — 1228, *iul.* 31, *I, in palatio Cremonae.*

Nuncius Egidii Guberti de Lombardo, potestatis Cremonae, praecipit Teboldo de Teboldis ut procedat in causa Bonini quam habet cum Egidio de Gadio sindico communis.

24. — 1228, *aug.* 1, *I, in palatio Cremonae.*

Idem praeceptum per sacramentum et in banno 10 librar. imper.

25. — 1228, *aug.* 7, *I, Cremonae.*

Andreas Mastallius et Teboldus de Teboldis, arbitri electi inter Boninum et sindicum Cremonae, dant in manibus sindici intentiones Bonini et praecipiunt ei ut sit ad Parmam ad videndum testes dicti Bonini.

26. — 1228, *aug.* 9, *I, Cremonae, in palatio.*

Boninus relinquit Gulielmum de Cervis suum procuratorem ad placitum, excepto in sententia audienda.

27. — 1228, *id. id.*

Arbitri praecipiunt sindico ut in sequenti die det interrogationes suas de quibus debeant interrogari testes, quas Boninus vel eius procurator in Cremona ostendere vellet.

28. — 1228, *id. id.*

Sindicus porrigit interrogationes.

29. — 1228, *id. id.*

Arbitri praecipiunt sindico ut sit ad Parmam ad videndum testes quos Boninus vult ostendere.

30. — 1228. *id. id.*

Sindicus relinquit Iohannem Bellum Fustinum suum procuratorem ad videndum testes quos G. de Cervis vellet facere iurare.

31. — 1228, *aug.* 12, *I, Cremonae.*

Arbitri praecipiunt procuratori sindici Cremonae ut per totum diem det interrogationes.

32. — 1228, *aug.* 14, *I, Cremonae.*

Boninus porrigit testes inclusos et sigillatos in manibus arbitrorum.

33. — 1228, *aug.* 17, *I, Cremonae.*

Arbitri praecipiunt Bonino et Egidio de Gadio, sindico comunis, ut eodem die sint ad respondendum de ore ad os unus alteri et quod sindicus det interrogationes super intentionibus Bonini.

34. — 1228, *sept.* 17, *I, Cremonae.*

Arbitri denuntiant sindico quod per totum diem et pro sequenti faciat reverti et dicere testes quos producere vult.

35. — 1228, *sept.* 20, *I, in palatio Cremonae.*

Boninus denunciat arbitris quod paratus est producere in antea causam.

36. — 1228, *sept.* 21, *I, Cremonae.*

Boninus dat in manibus arbitrorum 41 instrumenta quibus uti vult in placito.

37. — 1228, *id. id.*

Boninus denuntiat arbitris quod paratus erat ire pro finiendo placito et audienda sententia.

38. — 1228, *sept.* 22, *I, Cremonae.*

Boninus eadem iterum denunciat arbitris.

39. — 1228, *id. id.*

Arbitri confitentur quod habuerunt in praeterito die suspectos Bonini, quos habet tam de civitatibus quam de hominibus.

40. — 1228, *id. id.*

Arbitri denuntiant Bonino et sindico Cremonae quod si velint uti aliquibus instrumentis debeant dare in sequenti die ante tertiam.

41. — 1228, *id. id.*

Arbitri denunciant sindico quod in sequenti die ante tertiam det suspectos.

42. — 1228, *sept.* 23, *I, Cremonae.*

Boninus ante horam tertiae dicit arbitris quod paratus erat ire pro audienda sententia.

43. — 1228, *id. id.*

Ante tertiam Boninus dat notario instrumenta quibus uti vult.

44. — 1228, *id. id.*

Boninus denunciat arbitris quod paratus erat exire Cremona pro finiendo placitum, et quod dabat Cremonam in suspectum.

45. — 1228, *id. id.*

Boninus eadem denuntiat post vesperas.

46. — 1228, *sept.* 24, *II, Cremonae.*

Boninus eadem iterum denuntiat arbitris.

47. — 1228, *id. id.*

Arbitri cohadunant multos sapientes Cremonae ad consilium ab eis petendum, sed sindicus Cremonae dicit arbitris quod non debeant procedere in antea.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, indictione secunda, die septimo exeunte septembre, in palatio communis Cremone, presentia dominorum Norachi de Malumbris et Meioroti Capelli, et Anselmi Guxfrarii et Albrici de Bucia, testium ibi rogatorum.

Cumque domini Andreas Mastalius et Teboldus de Teboldis, arbitri inter Boninum de Momolerio ex una parte et ex alia Egidium de Gadio sindicum communis Cremone, nomine ipsius communis, cohadunassent multos sapientes sive iudices Cremone ad conscilium ab eis petendum super facto placiti Bonini suprascripti, an conscilium dicti placiti haberetur in Cremona nec ne, quia Boninus habebat in suspectum homines Cremone quia res tangit hominibus Cremone, et si Boninus deberet facere omnes expensas si dictum conscilium daretur extra civitatem Cremone nec ne, tunc venerunt ibi domini Lanfranchus de Multisdenarils et Egidius sindicus suprascriptus et dixerunt dictis dominis Teboldo de Teboldis et Andree Mastalio quod non deberent procedere in antea in dicta causa nisi primo haberent conscilium a iudicibus communis Cremone et a sapientibus, et ita dictum conscilium remansit et non in acta processit pro eis que dixerunt suprascripti domini Lanfrancus et Egidius, quia sapientes noluerunt stare.

† Ego Iacomus Alamannus, sacri pallacii notarius, interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

48. — 1228, *id. id.*

Boninus denuntiat arbitris quod debeant exire Cremona et habere consilium et finire placitum.

† Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, indictione secunda, die septimo exeunte septembre, in palacio communis Cremone, presentia dominorum Marini de Iohannis et Oldofredi de Casamala et Nicolay de Sydolis, testium ibi rogatorum.

Post horam nonam, Boninus de Momolerio de Aste dixit et denunciavit domino Andree Mastalio quod paratus erat procedere in causa quam habet

cum commune Cremone et ut deberet exire Cremona et habere conscilium et finire placitum, ideo quia habebat homines Cremone in suspectum quia tangit omnibus hominibus Cremone, et quod paratus erat facere expensas in dicta causa, quas de iure facere debet, et quod per eum non stabat quin dicta causa in antea procederet et sumeretur et tali tempore quod omnia poterant adhuc explicare.

† Ego Iacomus Alamannus, sacri palacii notarius, interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

49. — 1228, *sept.* 26, *II*, *Cremonae.*

Boninus dicit Teboldo de Teboldis arbitro quod debeat ire ad accipiendum consilium; et arbiter respondet credere quod pro parte communis stat quod non finitur placitum.

50. — 1228, *nov.* 5, *I*, *Astae.*

Iacobus de Montemolerio promittit rata et firma se habiturum omnia quae Bonifacius filius suus, qui dicitur Boninus, faciet.

51. — 1228, *dec.* 9, *II*, *Cremonae.*

Egidius de Gadio sindicus Cremonae et Boninus compromittunt in Teboldum de Teboldis et Norathum de Malumbris arbitros usque ad 15 dies.

52. — 1228, *d. Novariae (senza data ed indicazione di luogo).*

Episcopus Novariae, sub poena interdicti, praecipit rectoribus consiliariis et communi Cremonae quatinus decima die post receptionem epistolae suae veniant coram se restituturi bullam et instrumenta quae violenter abstulerunt Bonino.

53. — 1229 (1228 *inc.*), *ian.* 10, *II*, *Cremonae.*

Henricus advocatus consul Cremonae et Egidius de Gadio sindicus nominant procuratorem ad dandum abbati S. Benedicti Padi Lirone litteram Gregorii IX (v. a. 1228, iun. 18).

54. — 1229 (1228 *inc.*), *ian.* 15, *II*, *Cremonae, in palatio.*

Iacopus de Burgo et Otto de Divitiolis consules faciunt Adam Galassam nuntium ad petendum ab episcopo Novariae absolutionem interdicti cui supposuit consules et consiliarios Cremonae pro facto Bonini de Aste, et ad appellandum a sede apostolica si episcopus nollet hoc facere.

55. — 1229, *ian. (senza data).*

Praecepta facta a rectoribus Adae Galassae qui debet ire Novariam.

56. — 1229, *ian. (senza data).*

Litterae abbatis S. Benedicti de supra Pado ad Oldebertum episcopum Novariae, quatinus deferat causam Bonini ultra Pascam, si vero non possit, locum ordinet et diem ad procedendum in dicta causa.

57. — 1229, *ian.* 17, *II*, *in palatio picto episcopi novariensis.*

Adam Galassa dat litteram abbatis S. Benedicti episcopo Novariae.

58. — 1229, *id. id.*

Adam Galassa appellat ad pontificem a sententia interdicti lata ab episcopo contra Cremonenses et a iudicio eius.

59. — 1229, *ian.* 18, *sub palatio episcopi Novariae.*

Nuncius Cremonae, in praesentia episcopi, ostendit litteras Gregorii IX, d. Perusii, 1228, iun. 18.

60. — 1229, *id. id.*

Nuncius iterum appellat ad pontificem a sententia et iudicio episcopi.

61. — 1229 (1228 *inc.*), *ian.* 28, *II*, *Cremonae, in palatio episcopi.*

Homobonus episcopus restituit Bonino 28 cartas ab eo productas in duobus sacchis.

62. — 1229 (1228 *inc.*), *febr.* 14, *II*, *Cremonae.*

Consules et consilium constituunt Adam Galassam sindicum in causa cum Bonino ante Guifredum cardinalem titulo S. Marci apostolicae sedis legatum.

63. — 1229, *febr.* 20, *Pergami, in episcopio.*

Guifredus cardinalis protestatur, coram Adam Galassa, quod commune Cremonae non inciderat in aliquod interdictum, quia ex praeceptis Algisii de Roxiate canonici pergamensis delegati sui miserat nuncium ante terminum statutum.

64. — 1229. *id. id.*

Algisius de Roxate eadem testatur.

65. — 1229 (1228 *inc.*), *mart.* 1, *II, Cremonae.*

Consules faciunt Adam Galassam missum ut det Bonino plenam fidantiam veniendi in Cremonam.

66. — 1229, *id. id.*

Consules et consilium constituunt Adam Galassam sindicum in placitis cum Bonino sub Guifredo cardinali.

67. — 1229 (1228 *inc.*), *mart.* 4, *II, Pergami, in palatio episcopi.*

Adam Galassia de Cremona se repraesentat coram Gofredo legato,

68. — 1229, *id. id.*

Legatus dat Adam Galassiae et Redivo Dodoni iudici plenam fidantiam eundo et redeundo ad eum pro placito Bonini.

69. — 1229, *mart.* 4, *d. Pergami.*

Guifredus legatus nunciat statuisse terminum Adae Galassae et Radino Dodono et Bonino ut se repraesentent coram se, dando eis plenam fidanciam eundi et redeundi.

70. — 1229, *mart.* 15, *II, Pergami.*

Sindicus Cremonae repraesentat se coram episcopo pergamensi, dicendo quod venerat ad audiendum praecepta cardinalis.

71. — 1229, *mart.* 16, *II, in palatio episcopi Mediolanensium.*

Adam Galassia repraesentat se ante Landulfum iudicem cardinalis legati, dicendo quod volebat se repraesentare ante cardinalem, si posset.

72. — 1229, *id. id.*

Sindicus Cremonae iterum se repraesentat.

73. — 1229, *mart.* 20, *II, Mediolani, in palatio episcopi.*

Guifredus cardinalis protestatur quod sindicus se repraesentavit ad terminum statutum.

74. — 1229, *mart.* 21, *id.*

Boninus petit omnia instrumenta quae dicit sibi abstulisse Ziliolum Guberti Lombardi, quondam potestatem Cremonae, vel eius iudices sive commune vel alios qui ea tenebant, quibus promissiones communis continebantur.

75. — 1229, *id. id.*

Petitiones et attestationes praedicti Bonini, datae magistro Landulfo.

76. — 1229, *id. id.*

Sindicus Cremonae negat omnes attestationes Bonini.

77. — 1229 *(senza data).*

Breve recordationis de interrogationibus testium productorum a Bonino super facto instrumentorum ablatorum.

78. — 1229 *(senza data).*

Nota testium per quos Adam Galassa vult probare contra Boninum.

79. — 1229, *mart.* 23, *II, Mediolani, in palatio archiepiscopi.*

Landulfus cappellanus Guifredi cardinalis statuit terminum sindico Cremonae et Bonino ut ante praesentiam suam vel cardinalis accedant.

80. — 1229, *mart.* 31, *II, Cremonae, in consilio.*

Homobonus episcopus et Prior fratrum praedicatorum Cremonae, auctoritate Guifredi legati, admonent consules et consilium ut restituant Bonino omnia instrumenta ei ablata vel cum eodem componant;

et consules et consilium respondent quod parati erant componere et quod non habebant aliquid de instrumentis.

81. — 1229, *apr.* 1, *II, Mediolani, in palatio archiepiscopi.*

Adam Galassa se repraesentat ante vicarium archiepiscopi petendo de cardinali, et vicarius respondet quod iverat Bergomum.

82. — 1229, *apr.* 2, *II, in palatio episcopi bergomensis.*

Adam Galassa se repraesentat coram cardinali.

83. — 1229, *apr.* 6, *II, in palatio episcopi pergamensis.*

Cardinalis statuit terminum Adae Galassae veniendi ad praesentiam suam, praecipiens ne quid in causa innovetur sine voluntate sua, et quod Boninus et socii eius in eundo et redeundo Cremonam securi sint in persona et rebus.

84. — 1229, *id. id.*

Cardinalis protestatur quod sindicus venit mandatis suis in termino statuto.

85. — 1229, *apr.* 7, *Pergami.*

Guifredus legatus mandat canonico Algisio pergamensi quatinus Cremonam adeat, testes audiat, et terminum Bonino et communi statuat quo coram eo se repraesentent.

86. — 1229, *mad.* 6, *II, in camera episcopi pergamensis.*

Guifredus cardinalis statuit terminum sindico Cremonae ad se repraesentandum.

87. — 1229, *mad.* 26, *II, in palatio episcopi cremonensis.*

Item eodem millesimo, indictione et mense, predicti abbates et sapientes gabelle providerunt, statuerunt et ordinaverunt quod aliquis portus stet nec esse possit in Taliata predicta, pro aliquo homine vel mercadandia transeundo vel transeunda, nisi portus gabelle Cremone per fratrem massarium dicti pontis ibi constitutum, salvo iure aliarum personarum.

Item eodem millesimo, indictione et mense, predicti abbates et sapientes gabelle statuerunt, providerunt et ordinaverunt, quod omnes et singuli, qui fecerunt se scribi in libro societatis terre Doxoli et qui scripti sunt in dicta societate, compellantur venire ad standum et abitandum cum familiis eis in dicta terra Doxoli, usque ad festum omnium Sanctorum proximum venientem, per abbates et sapientes gabelle, qui nunc sunt et pro temporibus fuerunt, et ibi in futurum continuam residentiam facere; et si aliquis de predictis, qui scriptus fuerit in dicta societate, non observaverit predicta vel contra predicta vel aliquod predictorum, quod sit exceptus a protectione comunis

et populi Cremone et cancelletur et eximeatur de dicta societate, nec in futurum in dicta societate redire nec recipi possit; et quod omnia sua bona, que abebant tempore quo se scribi fecerunt et que modo abent in dicta societate, perveniant et pervenire debeant in gabellam Cremone et in dictam societatem, quarum medietas sit gabelle Cremone et alia medietas dicte societatis, nulla lamentacione facta vel facienda obstante per eos a dicto tempore citra; et quod gabellatores, qui pro temporibus fuerint, teneantur sacramento precisso predicta omnia et quelibet predictorum attendi facere et observare singulis tribus mensibus a tempore introytus eorum, predicta omnia inquirere et atendi facere in totum, secundum quod eis melius et utilius pro comuni et populo et gabella Cremone videbitur faciendum.

Nomina quorum sapientium sunt hec:

D. Fredericus Taronus, D. Codebox de Alio, D. Bortolinus de Lixola, abbates — D. Iacopinus de Trezo — D. Moscardinus de Moscardis — D. Nicholinus de Zuchellis — D. Guerzius de Barciis — D. Cabriel de Dinaxiis — D. Iulianius Abax — D. Iacomus de Brugnollis — D. Francischus de Pistoribus — D. Francischus de Guazonibus — D. Lafrancus de Orsolario — D. Ottonelus de Stanghis — D. Iulianus de Multis denariis — D. Coradus de Tedegetis — D. Amadeus de Vasallo — D. Girardus de Burgo — D. Bonefacius de Bardo — D. Albertinus de Curtixiis.

Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione octava, die martis vigesimo setembris, lecte et plubicate fuerunt suprascripte provisiones super domibus gabelle coram suprascriptis sapientibus gabelle et qui fuerunt numero viginti, per me Nicolaum de Arnoldis notarium gabelle, et per ipsos sapientes firmate et aprobate.

Testes: Frater Leonardus, Frater Coradus, Frater Cabrinus.

Die martis suprascripto lecte et publicate fuerunt suprascripte provisiones, per me Nicolaum de Arnoldis notarium gabelle, in consilio generali comunis Cremone congregato super pallacio veteri ad sonum campane et voce preconum more solito, presentibus domino Scedo de Podio bonici, potestate comunis, et D. Bonefacio Boxardo, capitaneo, consulibus et ancianis populi et credenderiis existentibus in dicto consilio ut mox est.

Testes: Ferabox de Roncarolo, Federichus de Moscardis, Lanfrancus de Guiscardis et Otolinus de Contis.

8. — 1295, *dec.* 20, *IX, l. in consilio gabellae Cremonae. C,* 14.

Provisio gabellae quod debita usuraria gabellae, quae ascendunt ad 1500 libras imp., solvantur de quarta parte introitus quae ponitur in leone quibuslibet tribus mensibus.

Cum gabella comunis Cremone et reditus ac introytus ipsius gabelle sit magnis debitis usurariis pregravata, que quidem debita axendunt usque ad quantitatem sive sommam mille quingentarum librarum imperialium de sorte, et ultra ipsam sortem maximis usuris, et cum in provisionibus gabelle contineatur quod quarta pars introytus dicte gabelle ponatur in leone quibuslibet tribus mensibus, et reformatum sit per consilium generale populi quod gabellatores dicte gabelle faciant et facere possint provisionem de solvendis dictis debitis de dicta quarta parte introytus, et quod possint et debeant solvere dicta debita de dicto introytu non obstante dicta provisione nec aliquo statuto comunis vel populi Cremone. Idcirco domini abbates gabelle et sapientes dicte gabelle, pro conservatione et manutentione atque defensione dicte gabelle et iuris dicte gabelle, et ad hoc ut dicta gabella et introytus dicte gabelle exhonerentur debitis et usuris, actoritate dicte reformationis consilii generalis populi et actoritate officii sui et omni modo quibus melius potuerunt, providerunt, statuerunt et ordinaverunt et quod dicta debita de quibus superius fit mentio solvantur et solvere possint per predictos gabellatores de dicta quarta parte introytus dicte gabelle, non obstante predicta provisione nec aliquo statuto comunis vel populi. Et quod domini potestas et capitaneus, consules et anziani populi et gabellatores predicti a predicta provisione et statutis sint libere et integraliter absoluti. Quibus debitis solutis cum usuris, predicta provisio continens quod quarta pars introytus dicte gabelle ponatur in leone quibuslibet tribus mensibus et cetera in sua remaneat firmitate et de cetero sine aliqua diminutione debeat observari. Et hec provisio sit tronca et precisa et valeat in qualibet sui parte.

Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione nona, die martis vigesimo decembris, lecta et aprobata et publicata fuit dicta provisio inter gabellatores comunis Cremone congregatos super domo gabelle.

Nomina quorum gabellatorum sunt hec:

D. Antonius de Puteo.
D. Belinus de Guferlasiis.
D. Manfredus de Pasqualibus.
D. Iohannes de Cavata.

9. — 1295, *dec.* 29, *IX, l. in cons. gab. Cremonae. C,* 15.

Provisio gabellae quod omnes redditus, honores, iura, iurisdictiones etc. curiae Luzariae iterum affictentur dominis et fratribus de Branchis per duos annos a die 22 aprilis proximi praeteriti, solvendo quolibet anno 88 libr. imper.

10. — 1295, *id. id. C,* 16.

Provisio gabellae quod terrae bandezatorum iacentes in curia Luzariae affictentur praedictis dominis de Branchis per duos annos a calendis aprilis proximi praeteriti, solvendo quolibet anno 40 libras imper.

11. — 1296 (1295 *inc.*), *ian.* 4, *IX*, *l. in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 17.

Provisio gabellae quod fratres Humiliati et massarii communis et gabellarum et aliorum officiorum remaneant in officiis toto tempore sapientum de gabella praesentium, non obstantibus statutis populi, in quibus continebatur quod post sex menses mutarentur.

12. — 1296 *id. id. C*, 18.

Provisio gabellae contra fraudes quae committebantur ad portas civitatis super dacio denariorum qui exiguntur de rotis ferratis.

13. — 1296 (1295 *inc.*), *feb.* 28, *IX*, *Cremonae*, *l. in cons. gabellae et cons. gen. comm. C.* 19.

Provisio gabellae quod reformatio consilii gen. communis super conventione facta cum ambaxatoribus Laudae, per unum annum, pro ducendo salem de Veneciis ad civitatem Laudae per civitatem seu districtum Cremonae, firma et inviolabilis sit.

Hec est quedam provisio facta per abates et sapientes gabelle magne Cremone vel per maiorem partem eorum, facto partito inter eos cum bussolis et ballotis, tempore domini Tomaxini de Saxolo tunc potestatis comunis Cremone et domini Bonefazii de Boyardis capitanei populi Cremone, existentibus habatibus dicte gabelle dominis Baldesaro de Pizenardis, Frederico de Moscardis, Martino de Oldrevandis et Bonexollo Bergomascho, sub millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, indictione nona, de mense februarii.

Cum reformatum existerit per conscilium generale comunis Cremone, ad peticionem ambaxatorum comunis Laude, quod quilibet homo volens conducere salem seu conduci facere de civitate Veneziarum, per civitatem seu districtum Cremone, ad civitatem Laude, possit conducere ipsum salem solvendo comuni seu gabelle Cremone et pontis Padi undecim soldos et septem denarios pro quolibet modio venetico, secundum quod solvunt Pergamenses. Et volunt ipsi ambaxatores facere dari in contanti comuni seu gabelle Cremone ducentas libras imper. computandas in dacio primi salis qui ducetur de Veneciis Laude, que reformatio locum habeat usque ad unum annum tantum et pro ut in ipsa reformacione plenius continetur, in carta inde facta per Iulianum de Mozanega, notarium et tunc dictatorem comunis Cremone.

Et cum ambaxatores comunis Laude nolint dare dictas ducentas libras, nisi primo per abates et sapientes gabelle statuatur et inde fiat provisio, quod predicta reformacio consilii generalis et omnia ea que in ea continentur firmentur et firma sint et inviolabiliter observari debeant per comune Cremone et per abates et sapientes gabelle, qui nunc sunt et pro temporibus erunt ad dictam gabellam, usque ad predictum terminum.

Idcirco predicti abbates gabelle, de voluntate sapientum gabelle qui erant numero viginti quatuor, citatis omnibus gabellatoribus, et ipsi sapientes cum eis, statuerunt ordinaverunt et providerunt quod predicta reformatio conscilii generalis sit firma auctoritate huius provisionis, non obstantibus aliquibus statutis comunis vel populi cremonensis nec aliquibus aliis provissionibus in contrarium loquentibus, et quod quelibet persona ducens et ducere volens [salem] de Veneziis ad civitatem Laude possit eum ducere libere et secure, solvendo pro ipso sale quantitatem predictam usque ad unum annum tantum proxime venientem, sine aliquo alio dacio persolvendo comuni et gabelle cremonensi seu ponti Padi.

Die martis vigesimo octavo februarii, lecta et publicata fuit predicta provisio per me Gabrynum notarium in consilio sapientium gabelle et aprobata et firmata per ipsos sapientes.

Testes: domini Ghirardus Guazonus et Andriolus de Golferamis.

Die martis suprascripto lecta et publicata fuit predicta provisio, per me Gabrynum notarium suprascriptum, in consilio generali comunis Cremone et aprobata et firmata in ipso consilio, in quo quidem erant predicti domini potestas et capitaneus.

Testes: domini Ugolinus de Casalimorano, Iulianus de Mozanega et Iohannes de Cavata.

14. — 1296, *marc.* 31, *IX*, *l. in cons. gabellae Cremonae et in cons. gen. communis. C*, 20.

Provisio gabellae quod fiat sindicus communis qui possit accipere mutuo super bonis communis et gabellae pecuniam pro solutione facienda terrarum de Montixello illis de Bonefaziis. Item quod homines Casalisbutani debeant facere pontem super navilium et eum manutenere et tenere ita aptatum et altum guadum ut naves ponderatae et non ponderatae possint ire et redire per dictum navilium (1).

(1) Per pagare le terre comprate dai Bonifaci a Monticelli d'Ongina stavano in deposito presso Frate Leonardo, massaio della gabella, 700 fiorini d'oro; ma questi, si dice, erano stati spesi nell'esercito mandato a Modena in aiuto del Marchese d'Este. — Il ponte sul naviglio a Casalbuttano doveva avvantaggiare le relazioni fra Bergamo, Soncino e Cremona. Con questa stessa provvigione si concede agli abitanti di Casalbuttano di riscuotere un denaro per ciascun carro, e 12 denari all'anno per ciascun fondo di nave.

15. — 1296, *id. id. l. in cons. gabellae et in cons. gen. comm. C*, 21.

Provisio gabellae quod gabellatores non teneantur ponere quartam partem introitus gabellae de tribus mensibus praeteritis in leone seu in zepo, propter graves expensas factas et faciendas in servicio amicorum (Marchionis Hestensis) et ad honorem partis ecclesiae; et quod prolungatum sit ad octo dies tempus abbatibus et sapientibus pro racione reddenda lucri et expensarum gabellae tempore officii sui.

16. — 1296, *apr.* 11, *IX, l. in consilio gabellae et in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 22.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus, factus auctoritate consilii gen. seu campanae communis, cum Roglerino de Tricio et Contino de Bezano et sociis, quibus facta fuit venditio de proventibus gabellae pro 1440 libris imper. necessariis ad solvendum milites et pedites per unum mensem, qui erant Mutinae in servitium Marchionis Hestensis.

17. — 1296, *mad.* 19, *IX, l. in cons. gabellae et in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 36.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus cum Ziliolo de Colferamis et Carfalino de la Pilla et sociis, quibus facta fuit venditio de redditibus gabellae pro 1500 libris imper. necessariis ad solvendum pedites et milites, qui sunt Mutinae, per alterum mensem, et ad solvendum 700 florinos aureos illis de Bonefaziis (v. a. 1296, marc. 31).

18. — 1296, *iun.* 17, *IX, l. Cremonae, in cons. gabellae et die* 28 *in cons. gen. comm. C*, 37.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus cum Paxino de Schiciis et sociis, quibus facta fuit venditio de proventibus gabellae pro 600 libris, necessariis ad solucionem denuo faciendam peditibus et militibus Mutinae, per unum mensem (1).

19. — 1296, *iun.* 24, *IX, l. in cons. gab. Cremonae. C*, 38.

Provisio gabellae quod duae naves Sardescae, quae contineant quantitatem 100 modiorum salis vel id circa, accipiantur a tribus mercatoribus salis Cremonae per gabellam, et debeant conduci Cremonam de Veneciis, certis pactis et condicionibus.

Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione nona, de mense iunii.

Statutum et ordinatum est per infrascriptos et predictos sapientes gabelle magne Cremone, quod due naves salis sardessce, que contineant quantitatem C modiorum vel circa id, accipiantur a dominis Ugetto de Ardoyno, Francisco de Verdellis et Nicolao de Paterno, merchatoribus sallis Cremone, per gabellam Cremone, hiis pactis et conditionibus. In primis quod predicti mercatores debeant conducere seu conduci facere dictum salem ad pontem Padi seu ad portum Cremone, omnibus suis risegis et periculis et expensis, de illo salario quod erit apertum in civitate Veneciarum, et debeant habere pretium dicti salis, et ultra dictum precium dicti salis, dacia que solventur Veneciis, Ferarie et Mantuae, que sunt in qualibet civitate duodecim venetiani crosi de quolibet modio croso venetico, et omnes alias expensas quas facient in storiis, in songis, in caregando, asazando, cosendo et bollettis et tansa Padi, et decem et septem venecianos grosos de quolibet modio venetico pro nollo dicti sallis et pericullo. Item quod predicti merchatores debeant habere omnes denarios qui exigentur et fient de dicto sale in salariis Piscarie, sancte Agathe et terris episcopatus Cremone. Item debeant habere medietatem precii sallis franchi qui venditur antequam sal, quem faciunt conduci, venerit. Et postquam suus sal venerit, debeant habere totum precium sallis comunis et gabelle et sallis conducti per eos, donec fuit eis integraliter satisfactum de predicto sale. Et in hiis denariis quos debent habere predicti merchatores de predicto salle debeant et possint computari dacia botoni sallis, quem ipsi per se facient conduci de Veneciis Cremonam, donec eis fuerit integraliter satisfactum de toto dicto sale, facta ratione de predictis omnibus, scilicet de precio, daciis et expensis, cum sapientibus gabelle. Ita quod abbates et sapientes gabelle et massarii, modo aliquo vel ingenio, expendere non possint de dictis denariis nisi solomodo in faciendo dictam solutionem dictis merchatoribus de dicto sale; et quod neque per gratiam neque alliquo allio modo seu causa possit peti parabolla dictis merchatoribus de expendendo de predicto precio dicti salis, nisi solomodo in solvendo precium dicti salis predictis merchatoribus modo predicto. Et

(1) Questo e il precedente contratto furono deliberati, il primo dai consigli della campanella e generale dal popolo, il secondo dal consiglio della campanella.

hec provisio sit truncha et precisa et ultima et derogatoria omnibus aliis provisionibus, statutis, tam comunis quam populi, in contrarium loquentibus. Et quod potestas et capitaneus comunis et populi Cremone teneantur eam in totum et in qualibet parte sui inviolabiliter observare, sub pena et in pena L librarum imper. et quod etiam gabelatores, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, teneantur eandem provisionem observare, pena ac vincullo sacramenti ac tocius salarii sui amissionis.

Lecta et aprobata fuit suprascripta provisio per infrascriptos sapientes super domo dicte gabelle, die dominico vigesimo quarto iunii, presencia dominorum Zanoldi de Sancto Petro et Guilielmi Confanonerii.

20. — 1296, *id. id.* *C*, 39.

Provisio gabellae quod 200 librae vel circa quae sunt penes massarios gabellae, mutuo acceptae pro solvendo aliquos de Bonefaciis (v. a. 1296, marc. 31 et mai 19) accipiantur et convertantur in solutionem peditum et militum qui sunt Mutinae, hoc pacto quod restituantur in eumdem locum de primis denariis qui venient ad gabellam.

21. — 1296, *id. id.* *C*, 41.

Provisio gabellae quod vinum decreti, vernaciae et malvasiae ductum in civitatem solvat de dacio 5 soldos imp. pro quolibet barrili, si non est ultra unum sextarium, et si fuerit ultra solvat ad rationem cuiuslibet sextarii 5 soldos imper. de superfluo.

22. — 1296, *oct.* 5, *X*, *l. in cons. gab. Cremonae.* *C*, 1.

Provisio gabellae quod dacium noviter impositum 2 soldorum de quolibet sextario salis non intelligatur esse de bonis gabellae nec obligatum aliquibus emptoribus reddituum gabellae, nisi creditoribus qui nunc et alias emerunt dictum dacium; et quod contractus nuper factus cum Martino de Capris et Otabello de Rupere, pro solutione complenda militibus et peditibus qui fuerunt Mutinae et Ferrariae in servicio Marchionis Hestensis et pro solucione facienda custodibus castrorum, ratus et firmus sit.

23. — 1296, *oct.* 12, *X*, *Cremonae*, *l. in cons. gabellae.* *C*, 2.

Provisio gabellae quod abates, sapientes, notarii, et alii officiales gabellarum et salis sint excusati et liberi ab onere militandi in exercitu nuper facto in servicio Marchionis Hestensis.

24. — 1296, *nov.* 9, *X*, *l. in consilio gab. Cremonae.* *C*, 3.

Provisio gabellae quod homines de episcopatu et districtu Cremonae, qui venient pro eorum communibus ad accipiendum salem eis impositum, non possint pro debitis publicis vel privatis vel quacumque alia ratione capi nec detineri nec modo alio agravari.

25. — 1296, *nov.* 21, *X*, *l. in consilio gab. Cremonae.* *C*, 4.

Provisio gabellae quod rata et firma sit venditio de datio nuper superimposito 4 soldorum imper. pro quolibet sextario salis, facta Iacomino de Gadio et Ottobello de Rupere, pro 1800 libris necessariis ad solvendum mille pedites missos de novo in auxilium marchionis Hestensis (1).

26. — 1296, *nov.* 25, *X*, *l. Cremonae in cons. gabellae.* *C*, 5.

Provisio gabellae quod si aliqua persona inventa fuerit habere salem in domo, qui non sit de sale gabellae, vel in salamine porcorum vel alio quocumque modo, condemnetur ad arbitrium consilii gabellae, inspecta qualitate et quantitate salis et condicione personarum. Item quod cives habitantes in villis et castris et terris episcopatus et districtus compellantur ad accipiendum a gabella certam quantitatem salis impositam eis, inspecta qualitate et quantitate personarum et familiarum ipsorum.

(1) Il dazio sul sale, aumentato di 4 soldi imp. per sestario, era prima di 12 soldi imp. I mille fanti da mandarsi in aiuto del Marchese d'Este a *Castel Balzani*, erano pagati in ragione di 2 soldi imp. al giorno, e dovevano avere quindici giorni anticipati. Questo soccorso era stato decretato dai consigli del comune e del popolo, dal consiglio della campanella, e dal consiglio della campanella dei sapienti di Cremona e di più altri sapienti loro aggiunti.

27. — 1296, *nov.* 29, *X, l. in cons gab. Cremonae. C,* 6.

Provisio gabellae quod quaelibet cobla gabellatorum ab introitu sui officii continuatis diebus teneatur et debeat facere legi et divulgari omnes provisiones inter eos.

28. — 1296, *dec.* 5, *X, l. Cremonae in cons. gab. C,* 7.

Provisio gabellae quod quatuor naves Sardescae, quae contineant quantitatem 200 modiorum salis vel id circa, accipiantur a tribus mercatoribus cremonensibus per gabellam, et debeant conduci Cremonam de Veneciis, certis pactis et conditionibus (V. iun. 24).

29. — 1296, *dec.* 28 *et* 29, *X, l. in cons. gab. et in cons. gen. comm. Cremonae. C,* 8.

Provisio gabellae quod denarii condemnacionum factarum per potestatem de quibusdam personis et communibus episcopatus, qui auxilium dederunt inimicis Marchionis Hestensis et Cremonae, veniant non in massarios communis sed in massarios gabellae pro solvendo debita ipsius gabellae (1).

30. — 1297, *ian.* 16, *X, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 41.

Provisio gabellae quod fieri debeant duo libri de cartis pecudum, unus introytus et alter dispendii, qui remanere debeant penes massarios, et alii duo penes illos duos sapientes qui stant ad boletinum, quorum massarii exemplum habere nequeant, et quod reddi debeat ratio introitus et dispendii singulis decem diebus et in fine mensis.

31. — 1297 (1296 *inc.*), *febr.* 25, *X, Cremonae, l. in cons. gabellae. C,* 42.

Provisio gabellae quod nulla persona possit esse pro sapiente ad officium gabellae nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec frater pro fratre.

32. — 1297 (1296 *inc.*), *marc.* 11, *X, Cremonae, l. in cons. gabellae. C,* 43.

Provisio gabellae quod possint expendi de avere gabellae 10 librae imper. causa habendi malefactores qui damnificaverunt gabellam in stratis per quas venitur Cremonam cum mercadandiis. Item quod illi qui se dicunt denunciatores de illis 32 peciis de brexaninis et alia pecia acordelato quae fuerunt Nicoli Tarocii seu Petri dominae Granae de Peruxio, et partem precii ipsarum repetunt, nihil habeant. Item quod mercadandiae, quae ducuntur per aquam Padi a ponte Padi Cremonae superius, debeant solvere dacia et gabellam et pedalia ordinata, non obstantibus conventionibus retro factis cum aliquibus communibus, universitatibus vel personis Lombardiae.

33. — *Id. id. C,* 44.

Provisio gabellae quod omnes mercatores forenses, undecumque sint, exceptis bandezatis communis de maleficio, malexardia vel alio enormi delicto, possint libere et secure cum personis et rebus venire stare et redire in civitate et suburbiis et districtu Cremonae et extra usque ad sex annos.

34. — 1297 (1296 *inc.*), *mart.* 14, *X, l. in cons. gabellae Cremonae. C,* 47.

Provisio gabellae quod cassum et nullum sit statutum populi factum anno 1296 de mense iunii contra forenses a quibus homines civitatis seu districtus debebant habere pecuniam, et quod mercatores forenses habeant plenam securitatem et fidanciam in avere et personis (2).

---

(1) Fra le persone condannate vi erano Croco di Pomponesco e Percivallo de' Branchi (uno dei tre fratelli che tenevano in fitto le rendite di Luzzara, 1295, dic. 29), i quali, insieme con altre persone e con alcuni comuni, avevano aiutato Sainguerra de' Sainguerri e Lamberto de' Lamberti a passare il Po, a danno del Marchese d'Este e di Cremona. La gabella doveva ricevere i denari delle loro condanne, appunto per pagare le spese degli eserciti e delle cerne fatte in servizio del Marchese.

(2) In seguito alle oppressioni sopportate dai negozianti forestieri al tempo dell'esercito di Castiglione e della guerra di Lodi e dopo, volendosi costringere fra le altre cose ad andare in campo o a imprestar denaro al comune, essi non venivano più in Cremona e la gabella ne risentiva danno. Colla provvisione dell'11 marzo si diede loro fidanza negli averi e nella persona, e con questa del 14 marzo si annullò lo statuto del 1296 contro i forestieri debitori di cittadini cremonesi, per cui si stabiliva appena un mese di tempo per gli arbitrati e l'accomodamento, e se questo non aveva luogo si usavano rappresaglie su tutti i concittadini del debitore.

35. — 1297, *mart.* 30, *X, Cremonae, l. in cons. gabellae. C.* 48.

Provisio gabellae quod homines Laudae solvant pro sale et aliis mercadandiis totum illud quod solvere debent secundum formam statutorum communis et provisionum gabellae Cremonae, et solvere consueverunt secundum concessionem eis factam (7 sold. et 1 den. pro quolibet modio salis).

36. — 1297, *mad.* 16, *X, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 49.

Provisio gabellae pro faciendo mercato cum duobus mercatoribus Cremonae de conducendo de Venetiis ad pontem seu portum Padi 150 modios salis Sardescae, quibusdam pactis et condicionibus.

37. — 1297, *iun.* 3, *X, l. in cons. gabellae Cremonae. C,* 50.

Provisio gabellae super quadam magna quantitate carnium siccarum seu mezenarum porcorum, quam aliqui mercatores volebant ducere de versus Venecias.

38. — 1297, *iun.* 8, *X, l. Cremonae, in cons. gabellae. C,* 51.

Provisio gabellae quod totum id quod statutum fuit in praedicta provisione servetur in quibuscumque mercatoribus volentibus conducere mezenas per civitatem et districtum Cremonae.

39. — 1297, *iul.* 23, *X, Cremonae, l. in consilio generali communis. C,* 52.

Provisio gabellae quod rursus affictentur dominis de Branchis per alios duos annos redditus curiae Luzariae et bona bandezatorum in eadem iacentes, ut in 1295, dec. 29.

40. — 1297, *aug.* 8, *X, Cremonae. C,* 53.

Provisio gabellae quod glareae omnes a ponte supra et infra, inter utraque canallia, deveniant in potestatem gabellae et comunis.

Reformatio gabellae, auctoritate consilii 12 sapientium, qui ad hoc electi sunt, quod non potest fieri solutio de avere gabellae Petro dominae Granae de Perusio de denariis de quibus ei dandis existerant reformata consilia communis et populi Cremonae et etiam credencia populi, nec ei fieri compensatio in daciis quae ipse Petrus et Catanius et socii de Florentia solvere tenerentur pro mercationibus quas ducerent vel extraherent de civitate (V. a. 1297, marc. 11).

41. — 1297, *aug.* 27, *X, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 54.

Provisio gabellae quod glareae Padi, quae inter terminum statutum non ostendentur esse de iure alicuius personae, redeant ad gabellam.

42. — 1297, *sept.* 11, *X, l. in cons. gabellae et die* 15 *in cons. gen. comm. Cremone. C,* 45.

Provisio gabellae quod in proximis electionibus sapientum non possit eligi aliquis tenens, a quatuor mensibus citra, glareas Padi, per se vel per alium, nec pater nec filius nec frater; et quod electi teneantur vinculo iuramenti facere pervenire, suo posse, dictas glareas infra unum mensem ad commune.

43. — 1297, *oct.* 6 *et* 12, *XI, l. in cons. gabellae et in cons. gen. comm. Cremonae. C,* 46.

Provisio gabellae quod omnis pecunia quae fit ex venditione salis debeat solumodo expendi in emciones salis, et quod sal ematur et conducatur solumodo per gabellam et non per mercatores.

44. — 1298 (1297 *inc.*), *ian.* 5 *et* 13, *X, l. in cons. gab. et in cons. gen. comm. Cremonae. C,* 23.

Provisio gabellae, quae debeat valere per unum tantum annum, quod mercatores undecumque sint habeant plenam sicurtatem in avere et personis standi veniendi et redeundi Cremonam, exceptis bandezatis et confinatis civitatis et districtus.

45. — 1298 (1297 *inc.*), *febr.* 5, *XI, l. in cons. gab. Cremonae. C,* 25.

Provisio quod notarii gabellae debeant habere pro laboribus eis superadditis,

ultra salarium, 20 soldos imper. pro quolibet mense et pro quolibet usque ad S. Petrum de iunio.

46. — 1298, (1297 *inc.*), *febr.* 5 *et* 6, *XI, l. in cons. gab. et in cons. gen. communis Cremonae. C*, 24.

Provisio gabellae quod omnes mercatores conducentes merchandias per aquam Padi teneantur eas conducere ad pontem et ibi solvere pedalia et gabellas, et quod gabellatores ad pontem Doxoli debeant accipere securitatem de conducendo eas ad dictum pontem Padi Cremonae.

47. — 1298 (1297 *inc.*), *febr.* 6, *XI, l. in cons. gab. et in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 26. (*Si trova pure in estratto in doc. del* 1347, *apr.* 25).

Provisio gabellae quod mercatores possint conducere pisces salauratos et siccos in civitatem, solvendo tantum dacium et gabellam, et quod abolita sit pensa ad quam compellebantur vendere dictos pisces (1).

48. — 1298 (1297 *inc.*), *febr.* 26, *XI, l. in cons. gab. Cremonae. C*, 27.

Provisio gabellae super amplificatione et manutentione portus Padi et viae ad ipsum portum, ex sententia 5 sapientum (2).

49. — 1298 (1297 *inc.*), *marc.* 13, *XI, l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 29.

Provisio gabellae quod una bona et religiosa persona seu frater eligatur pro guaytono ad portam S. Lucae, quum fraudes cotidie committantur pro custodia non continuata.

50. — 1298 (1297 *inc.*), *marc.* 13 *et* 14, *XI, l. in cons. gabellae et in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 28.

Provisio gabellae quod per rectores observetur et firma sit provisio facta per sapientes, habitos per potestatem capitaneum, consules et ancianos populi (febr. 21), super electione et salario capitaneorum et custodum castrorum et turrium.

Hec sunt provisiones facte per gabellatores tempore potestacie domini Manfredini de Ysnardis, tunc potestatis Cremone, et capitaneatici domini Manzini de Manzatoribus, sub predicto millesimo et indictione.

Cum super providendo de sparando avere gabelle habiti fuerunt certi sapientes per dominos potestatem capitaneum consules et anzianos populi Cremone, die veneris vigesimo primo februarii, et per eos reformatum fuerit quod capitanei et custodes castrorum de cetero eligantur ad brevia in consilio generali comunis Cremone, et quod capitanei esse debeant de consilio octo centum credendariorum tantum et esse debeant maiores viginti quinque annis pro quolibet eorum, et custodes esse debeant maiores viginti quinque annis pro quolibet eorum, et custodes esse debeant de conscilio Garavane sive octo centum et sit et esse debeat quilibet eorum maior viginti annis, et quilibet capitaneus habere debeat pro feudo et salario suo pro quolibet die duos soldos imper. et quilibet custos duodecim denarios pro quolibet die tantum.

Item quod custodes de turibus eligantur similiter ad brevia et quilibet posit eligi custos ad tures.

Item quod qui fuerit capitaneus vel custos dictorum castrorum in uno mense non possit esse in sequenti custos nec capitaneus in aliquo dictorum castrorum.

Item quod aliquis civis non possit esse capitaneus nec custos alicuius castri in quo habitet.

Idcirco abbates et sapientes gabelle, pro evidenti utilitate gabelle et comunis Cremone pro diminuendis expensis comunis et gabelle Cremone quibus ipsa gabella ad presens est nimium gravata et multis debitis onerata, providerunt statuerunt et ordinaverunt quod predictus modo et provisio inventus et inventa per dictos sapientes super eligendo predictos capitaneum et custodes predictorum castrorum et turium et de solutione predictorum et cuiuslibet eorum de cetero fiat et observetur per presentes rectores et futuros in omnibus et per omnia ut superius legitur et continetur, dum tamen predicti capitaneus et custodes eligantur sufficientes secundum formam statutorum comunis et populi Cremone et qui fuerit elector dictorum capitaneorum et custodum sit eius fideiussor. Hoc addito quod si dominis potestati capitaneo et consulibus et anzianis populi, qui nunc sunt vel pro temporibus erunt, videretur utile et necessarium alium modum teneri aliquo tempore super eligendo predictos capitaneos et custodes

(1) Questa provvisione fu fatta in riguardo ai negozianti di Parma e di Modena, che si astenevano dal portar pesci a Cremona, essendo loro stata imposta una tariffa troppo bassa per venderli.

(2) Il porto doveva essere di 24 braccia, e la via al medesimo dalla città di 20 braccia. La spesa per l'allargamento doveva essere sopportata metà dalla gabella, un quarto dai beni del ponte, e l'altro quarto dai possessori di *baregh* in quel luogo, dove si scaricava e caricava legna che rovinava molto la via.

castrorum et turium et super eorum salario, quod tunc possint ponere ad conscilium campanele vel comunis Cremone, faciendo prius cridari dictum conscilium et specificari ipsam causam, et tunc quod placuerit sapientibus dicti consilii fiat et observetur super predictis in totum. Et hec provisio sit troncha et precisa et derogatoria aliis statutis provisionibus et reformationibus consiliorum comunis et populi Cremone in contrarium loquentibus, et ex nunc valeat.

Die iovis tertiodecimo martii lecta publicata et aprobata fuit predicta provisio in conscilio gabelle super domo dicte gabelle, in conscilio erant viginti septem gabellatores, sub millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione undecima.

Testes: D. Iacominus de Gadyo — Iulianus de Tinctis — Petrocinus de Ciria — Daniel de Gorenis — Antoniolus de Madio.

Die veneris quartodecimo martii lecta publicata et aprovata fuit predicta provisio in conscilio generali comunis Cremone, in presentia dominorum Bonzani de Alghisiis, Coradini de Prezanis, Iuliani de Stradaverta, Iuliani de Tinctis, Frederici de Moscardis testium, sub MCC nonagesimo septimo indictione undecima.

51. — 1298, *marc.* 31, *XI, Cremonae, l. in cons. gabellae. C,* 30.

Provisio gabellae quod firma sit reformatio et modus provisus per sapientes electos super stratis aptandis et solandis civitatis et burgorum (1).

52. — 1298, *id. id. C,* 31.

Provisio gabellae quod omnes terrae, feuda, redditus et honores, etc. curiae Luzariae, quae afitata fuerant dominis de Branchis, affictentur communi Luzariae usque ad quinque annos, solvendo annuatim 88 libras imper. et 60 libras pro bonis quae erant celata et reperta fuerunt per inquisitionem nuper (febr. 1298, N. 1152) factam, et 40 libras pro bonis bandezatorum. Item quod fortalicia in dicta terra fiat citius quam fieri poterit secundum modum inventum per sapientes et consilia communis et campanellae Cremonae.

53. — 1298, *mad.* 14, *XI, l. Cremonae in cons. gab. C,* 32.

Provisio gabellae quod quilibet possit ducere in civitatem et extrahere mercadandias cum rotis feratis solvendo 6 denarios de quolibet plaustro pro qualibet vice.

54. — 1298, *iun.* 26, *XI, l. Cremonae in cons. gab. C,* 33.

Provisio gabellae quod introitus curiae Luzariae iterum dentur in affictum per quinque annos Enrico, Simoni et Percivallo fratribus de Branchis, non obstante provisione 31 marc. (1298) per quam dati sunt in fictum communi Luzariae, quia canevarii curiae recusaverant fideiubere pro eodem communi.

55. — 1298, *aug.* 2, *XI, l. in consil. gen. populi Cremonae. C,* 34.

Provisio gabellae quod lapides, coppi et lignamina domorum bandezatorum communis et aliorum quae destrui debeant, deveniant in gabellam et massarium pontis Padi pro restauratione murorum portarum et circharum civitatis et aptatione stratarum.

56. — 1298, *sept.* 29, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C,* 35.

Provisio gabellae quod clavighae et clusae fieri debeant ad ducendam et servandam aquam navigii in fossis seu circhis civitatis ne fraus fiat in damnum gabellae.

57. — 1299 (1298 *inc.*), *ian.* 9, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C,* 55.

Provisio gabellae quod nulla persona tam civitatis quam districtus possit emere et tenere pullos ova nec aliquam selvaticinam, exceptis porcis et capriolis selvaticis, causa revendendi.

58. — 1299 (1298 *inc.*), *ian.* 17, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C,* 56.

Provisio gabellae quod contractus nuper factus de mense ianuarii per sindicum

(1) La soprintendenza dei lavori fu data al Priore di Valverde, massaio del ponte sul Po, e a Frate Bono Caracio di Carità. Furono loro assegnati i proventi del dazio sulle *ruote ferrate*, pagato alle porte dai forestieri, della tassa di 5 soldi imp. all'anno imposta ai vetturali che nella città e nei chiusi facevano servizio coi buoi, dell'appalto della baratteria (66 lire imp. all'anno), del dazio sui rivenditori di polli e uova, e il materiale delle case distrutte per ordine del comune. V. Provvisione del 2 agosto.

communis et abbates et sapientes officiorum gabellae et blavae cum D. Cavalcabove marchione de Vitaliana de 2000 libris imper. mutuo acceptis, firmus et validus sit.

59. — 1299, *id. id. C*, 57.

Provisio gabellae quod abbates et sapientes gabellae non possint compelli ire in aliquam ambaxiatam nec custodiam nec andatam modo aliquo, sed debeant stare in civitate et districtu tantum pro exercendo officium suum.

60. — 1299 (1298 *inc.*), *febr.* 4, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 58.

Provisio gabellae, pro tempore tantum praesentis potestatis, super extractione octo capitaneorum et electione custodum castrorum et salario eorum, qui debent compelli ire ad custodiam, cum praesentes sint insufficientes ad custodiam faciendam (1).

61. — 1299 (1298 *inc.*), *febr.* 16, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 59.

Provisio gabellae ne carnes porcinae salatae et caseus planus extrahantur extra civitatem et districtum Cremonae.

62. — 1299 (1298 *inc.*), *mart.* 1, *XII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 60.

Provisio gabellae quod oleum et caseum possit portari per civitatem et burgos ad vendendum, et quilibet tam civis quam forensis possit exercere artem et misterium suum in civitate et districtu libere et pacifice, non obstante aliquo statuto populi vel alicuius paratici collegii et universitatis.

Cum occaxione cuiusdam statuti populi facti proybitum sit, quod certi homines, qui consueverant portare caseum et oleum per civitatem Cremone ad vendendum, non possint ire nunc nec portare dictum oleum et caseum per dictam civitatem, quod redundat in maximum dampnum hominum civitatis Cremone, quia carius venditur dictum oleum et caseum ad staciones Cremone quam vendebatur per illos portantes per civitatem dictum oleum et caseum; et eciam multi alii, tam cives quam forenses, propter predictum statutum et alia statuta paraticorum civitatis Cremone, proybeantur facere misteria et artes suas quas facerent bene et legaliter; et cum in quodam alio statuto populi continebatur, quod quilibet possit facere misterium et artem suam libere et secure, nullo statuto alicuius paratici obstante nec aliquo alio statuto, dum tamen bene et legaliter facerent dictas artes et misteria.

Idcirco predicti abbates et sapientes gabelle, pro utilitate dicte gabelle et hominum civitatis Cremone, providerunt, statuerunt et ordinaverunt, quod de cetero quilibet possit portare per civitatem et burgos Cremone caseum et oleum ad vendendum pro ut alias consueverant portare, non obstante aliquo statuto populi vel aliquo alio statuto vel alicuius paratici comunis Cremone, quod quilibet tam civis quam forensis possit de cetero facere et exercere artem et misterium suum in civitate et districtu Cremone libere et pacifice et quiete, dummodo illam exerceat et faciet bene et legaliter et secundum quod debet de racione, non obstante aliquo statuto comunis et populi Cremone vel aliquo statuto alicuius paratici colegii vel universitatis Cremone. Et quod presens provisio sit ultima et derogatoria omnibus aliis statutis comunis et populi Cremone, et sit tronca et precisa in qualibet parte sui, nec ei aliquo modo vel ingenio possit ulatenus derogari, et sit pro statuto populi tronco et preciso; et quod dominus capitaneus teneatur facere legi dictam provisionem in consilio credencie populi, et ibi facere firmari, si placuerit maiori parti dicti consilii, et facere absolvi statutum predictum populi per quod proybeantur fieri suprascripta, salvis semper omnibus aliis provisionibus gabelle quibus non intelligatur per presentem provisionem in aliquo derogatum.

Die dominico primo marcii, lecta et publicata fuit dicta provisio in consilio gabelle super domo gabelle, in quo erant triginta ex sapientibus gabelle, et aprobata in ipso consilio sub millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione duodecima.

Testes: Venturinus de Bozolo et Albertus Roba.

Reformaverunt inter se sapientes gabelle, quod certi sapientes in iure esse deberent ad examinandum si dicta provisio valet et si fieri potuit de iure nec ne.

63. — 1299 (1298 *inc.*), *mart.* 12, *XII, l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 61.

Provisio gabellae quod quatuor gabellatores, qui electi fuerunt a consilio gabellae, vadant ad civitatem Venetiarum

(1) I capitani dei castelli, in numero di due per porta, dovevano essere estratti a sorte dai sacchetti contenenti i nomi di quei del Consiglio della campanella; i custodi dovevano essere scelti dai capitani fra il Consiglio degli ottocento. La paga era di 2 soldi imp. al giorno per i capitani, e di 16 denari per i custodi.

ad procurandum quod pacta inita inter Cremonam et Venetias super emptione et precio salis integraliter observentur (1).

64. — 1299 (1298 *inc.*), *mart.* 20, *XII, l. in cons. gab. et in platea maiori Cremonae super arengherio comunis. C,* 62.

Provisio gabellae quod dacia, gabellae et pedalia retro ordinata debeant firmiter observari et inviolabiliter manuteneri sine aliqua diminutione, non obstantibus omnibus provisionibus et statutis factis et quae in futurum fierent in contrarium loquentibus.

65. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 63.

Provisio gabellae quod firmus et validus sit, non obstante aliqua solemnitate non servata, contractus factus cum D. Cavalcabove, Supramonte de Amatis et Egidiolo de Persico de 2000 libris mutuo acceptis (7 iul.) pro solucione facienda militibus et balestreriis mittendis in servicio marchionis Montisferrati et Papiae.

66. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 64.

Provisio gabellae quod omnes mercatores undecumque sint, quum timeant venire ad civitatem propter discordias nuper ortas in partibus Lombardiae, possint libere et secure venire stare et redire ad civitatem, exceptis bandezatis et confinatis.

67. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 65.

Provisio gabellae quod homines ultra Padum habitantes in terra Polesini Manfredi episcopatus Cremonae et a dicta terra superius debeant et compellantur facere cavam fossae burghi Montexelli, secundum quod fecerunt cavam castri, et ab aliis operibus inditis praesentialiter per commune sint absoluti, maxime a laborerio S. Martini de Arzeno.

68. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 66.

Provisio gabellae quod capitaneus populi nuper electus, cum introitus gabellae sit adnichillatus ultra modum, habeat solum pro feudo suo 300 libras imper. pro sex mensibus et debeat tantum tenere duos iudices et unum militem seu socium salariatos a communi, secundum formam veterum statutorum. V. 1299, sett. 10, N. 1163.

69. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 67.

Provisio gabellae quod sapientes et officiales gabellae non possint compelli ire ad aliqua consilia generalia et specialia, quae additio fiat provisioni 17 ian.

70. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 68.

Provisio gabellae quod omnes singuli qui habitant et quorum patres habitaverunt in villis terris vel locis episcopatus Cremonae, et qui sunt et quorum patres fuerunt nativi de ipsis locis, et qui faciunt et quorum patres fecerunt opera rusticana, debeant accipere salem a gabella Cremonae cum aliis hominibus ipsorum locorum (2).

71. — 1299, *iul., XII, Cremonae. C,* 69.

Provisio gabellae ut solvatur salarium de avere gabellae iudici et aliis officialibus electis ad officium libellorum per fodra in civitate et districtu imponenda; item quod imposta salis facta inter saeculares et ecclesiasticas personas per civitatem et suburbia et vicineas sit cassa et vana; item quod vinum possit duci et vendi in civitate et districtu sine aliquo datio, pedallio, seu maltorta, non obstantibus represaliis concessis et quae in fu-

(1) L'ambasceria, oltre che dei quattro sapienti della gabella, doveva essere composta di un milite, un mercante e un notaio. Nei patti fra Venezia e Cremona per la provvista del sale era stata inserita la clausola del comune più favorito. Ora avendo i Milanesi ottenuto il sale a minor prezzo che Cremona, cioè a 18 veneziani grossi e mezzo il moggio, e inoltre facendosi pagare ai Cremonesi gravi balzelli, questi mandano a reclamare.

(2) Questa provvisione fu motivata dal fatto che alcuni, i quali colle loro famiglie dimoravano tutto l'anno o tre parti dell'anno nelle terre e ville del distretto, rifiutavano di prendere il sale dalla gabella cogli altri uomini del luogo dove abitavano, dicendo che erano inscritti nelle vicinie o nei borghi della città per il pagamento del fodro; onde anche gli altri poveri abitanti non potevano ricevere il sale che del resto loro si imporrebbe.

turum concederentur, salvis tamen provisionibus de vino vernaciae, malvasiae, decreti et ribelli (v. a. 1296, iun. 24).

72. — 1299, *nov.* 19, *XIII, l. in cons. gab. Cremonae. C*, 70.

Provisio gabellae quod septem coblae gabellatorum cum duobus sapientibus, uno notario et altero layco, et uno altero notario ire debeant per districtum Cremonae, pro reducendo in scriptis capita familiarum omnium habitantium in districtu et quantitatem eorum, quomodo fit in civitate et suburbiis, de expensis gabellae, ut omnes homines emere et vivere debeant de sale gabellae.

73. — 1299, *dec.* 10, *XIII, Cremonae, l. in cons. gabellae. C*, 71.

Provisio gabellae quod Laurentius Quirinus et quaelibet alia persona possit secure conducere a civitate Venetiarum ad Cremonam et ab inde supra salem solvendo dacia, dummodo non possit discaregare eum in episcopatu.

74. — 1299, *dec.* 31, *XIII, Cremonae, l. in cons. gabellae. C*, 72.

Provisio gabellae quod praesentes gabellatores et proxime venturi sint absoluti a provisione a. 1294, VII, per quam quaelibet cobla gabellatorum tenetur consignare successoribus suis a salariis gabellae 200 modios salis, donec possit haberi de salariis Venetiarum pulchrior sal.

75. — 1300 (1299 *inc.*), *marc.* 10 *et* 19, *XIII, l. in cons. gab. Cremonae et in cons. gen. populi. C*, 73.

Provisio gabellae quod Florentini possint libere et secure ire redire et stare in civitate et districtu Cremonae cum avere et personis, et sint sub protectione communis, et si aliquid contra eos tractabitur debeat communi Florentiae denuntiari per tres menses ante. Item quod ponatur quidam Iulianus de Adenis in loco Antonielli Comini cui sors data fuit terrae in Montexellis.

Infrascripte sunt quedam provisiones facte per infrascriptos abbates et sapientes gabelle magne Cremone, tempore regiminis domini Iacomi de Laqua potestatis Cremone et domini Pantaleonis de Buzacharellis capitanei comunis Cremone, existentibus abbatibus dicte gabelle dominis Guilielmo de Roncharolo et Baldesarino de Pizenardis et Guazo de Claro et Gabriello Alcherio, secundum reformationem sapientium ipsius gabelle, sub millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indicione tercia decima, de mense februari, et scripte per me Gufredinum de Gufredis notarium dicti officii ghabelle. Nomina quorum sunt hec:

De porta Natalis.

D. Baldesar de Pizenardis — D. Baldasar de Piscarolo — D. Pugnonus Tedegheclus — D. Egidiolus de Gholferamis — D. Daniellus de Casamalla — D. Novellus de Burgho — D. Luchinus de Bonseriis — D. Ghirardus Allamanus — D. Coradus de Micharis — D. Bonorinus de Ciria.

De porta Ariberti.

D. Pellegrinus de Allegris — D. Bonacorsius de Oldoynis — D. Maseninus de Natalibus — D. Nicholinus de Cortexiis — D. Zanallia de Madalbertis — D. Guilielmus de Roncharollo — D. Niger de Ansoldo — D. Anzelerius de Paziis — D. Tomaxinus de Stanghis.

De porta Pertuxii.

D. Guilielmus Confanonerius — D. Ugo de Somo — D. Guazo de Claro — D. Moroellus de Nanio. — D. Bochacinus de Asenellis — D. Ioaninus de Iosano — D. Lafrancus de Bonis Becharriis. — D. Marcus de Bredello — D. Vinzenzinus de Sancto Baxiano — D. Gabriellus de Pinzonibus.

De porta sancti Laurentii.

D. Riboldinus de Diviciollis — D. Guazinus Belavita — D. Rafaellus de Roncha — D. Mayster Michellinus de Lamo — D. Gabriellus de Alcherio — D. Nicholinus de Doxino — D. Iulianus Tayabobus — D. Ghabrinus de Moscardis — D. Gufredus de Guferlaxiis.

In primis provisum et ordinatum est, pro bono statu et conservacione et augumento et utilitate officii ghabelle Cremone et introytus dicte ghabelle, quod quilibet civis et mercator civitatis et districtus Florentie libere et expedite, et sine iniuria et gravamine alliquo inferendo eisdem in personis et rebus, possit venire, ire, redire et stare ad suam liberam voluntatem, cum personis et rebus cum mercadandiis et rebus et sine per civitatem et districtum Cremone, solvendo comuni Cremone sive ghabelle predicte dacia consueta, secundum usum ipsius gabelle, non obstante alliquo statuto nec reformacione comunis vel populi Cremone facto vel facturo, nec aliqua provisione gabelle predicte; et quod si aliquid novi tractaretur vel fieret seu intenderetur fieri per comune Cremone sive per ghabellam predictam contra predictos mercatores et cives Florentie, quod non possit fieri nisi prius dictum et denunciatum fuerit per sindicum comunis Cremone, ad hoc specialiter deputatum, comuni et hominibus civitatis Florentie per tres menses ante, secundum pacta facta et scripta per dominum Federicum de Moscardis quondam notarium; et quod si aliquid novi aut per statutum vel per provisionem aliquam comunis vel populi Cremone vel ghabelle predicte,

vel aliquo modo et iure ordinaretur, statueretur vel fieret contra predictos Florentinos in eorum preiudicio vel gravamine, predicta notificatione dicto comuni et hominibus Florentie ante per predictos tres menses modo predicto, et ex nunc auctoritate presentis provisionis sint casa et vana et nullius valoris et momenti, et perinde habeatur et teneatur ac si ipsa statuta seu reformacio vel provisio et totum illud quod fieret vel ordinaretur vel factum vel ordinatum non essent vel fuissent; et quod omnes rectores et officiales comunis et populi Cremone et abbatum et sapientium ghabelle predicte, qui modo sunt et pro temporibus erunt, vincullo sacramenti teneantur et debeant precise et inviolabiliter predictam provisionem atendere et observare et eam attendi et observari facere per comune et populum Cremone, et omnes Florentinos tam civitatis quam districtus Florentie habere tenere et tractare sub protectione comunis et populi Cremone, et eis et cuilibet eorum in suis neghociis et factis et questionibus et causis tam civilibus quam criminalibus facere iusticie complimentum, alliquibus statutis reformacionibus comunis vel populi Cremone vel alliquibus provisionibus ghabelle in contrarium loquentibus non obstantibus, que omnia in contrarium loquencia sub predictis auctoritate presentis provisionis quantum ad dictos Florentinos et districtuales Florentie sint case et casa et nullius valoris; et predicta provisio ponatur et scribatur in volumine provisionum ghabelle, et habeat vim statuti tronchi et precisi et pro statuto troncho et preciso habeatur et teneatur.

Cum citatus et requisitus fuerit Antoniollus Cominus, olim terrerius deputatus ad standum in terram Montexellis olim de Onglinis et modo comunis Cremone, si volebat in se retinere sortem ei datam per sapientes gabelle Cremone, et ipse respondiderit non posse facere necessaria dicte terre, secundum quod debet, propter impossibilitatem persone sue. Et cum per Iulianum de Adenis, qui dicitur esse persona sufficiens ad predicta vel per alium eius nomine, sit petitum quod dicta sors dicti Antoniolli ei debeat designari, paratus facere secundum quod alii terrerii hinc retro fecerunt occasione dicte sortis, et iam reformatum sit per gabellam quod predicta eis fiant et de predictis fiat provvisio per abbates et sapientes gabelle. Idcirco abbates et sapientes gabelle magne Cremone providerunt, liberaverunt et ordinaverunt pro evidenti utilitate gabelle, quod dictus Antoniollus Cominus sit liberatus et liberaliter absolutus ab obligatione facta per eum occasione quod deberet stare in dicta terra de Montexellis, canzeletur de libro comunis Cremone seu gabelle, et quod loco eius ponatur Iulianus de Adenis, faciendo bonam et idoneam securitatem de faciendo ea que necessaria sint dicte terre, secundum quod allii terrerii dicte terre qui habuerunt sortes hinc retro fecerunt.

Die iovis decimo marcii lecte et publicate fuerunt predicte provisiones mandato dominorum Ugonis de Somo, Pellegrini de Allegris, Baldasaris de Piscarollo et Maystri Michelini de Lamo abbatum ghabelle, per me Gufredum de Gufredis, notarium ghabelle magne, scripte super domo ipsius ghabelle in pleno consillio dictorum sapientium ibi congreghato more solito, et aprobate et confirmate fuerunt per dictos sapientes eorum nemine discrepante.

In presencia dominorum Guazii de Claro et Gabrino de Moscardis et Gulielmo Confanonerio et Luchino de Bonseriis et Ghirardino de Alamanis.

Lecte et publicate fuerunt suprascripte provisiones per me Iulianum de Trento notarium super pallatio comunis Cremone in consilio generali populi, coram domino Pantaleone de Buzacharellis tunc capitaneo populi, et existentibus consules et anziani, presentia Cabrini Cuchi, Bernerii de Bozolo et Iacomini de Lovesellis, die sabati decimo nono marcii.

76. — 1300, *marc.* 26, *XIII, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 74.

Provisio gabellae quod ematur domus Mazolae de Oldovrandis sita iuxta domos gabellae pro 125 libr. imper. ut numerus salariorum augeatur et aditum proprium habeat gabella ad curiam episcopi et ad domos suas.

77. — 1300, *marc.* 30, *XIII, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 75.

Provisio gabellae super ornamentis et vestibus hominum et mulierum.

Cum per multos et multos homines civitatis et districtus Cremone pluries dictum sit sapientibus gabelle quod provisiones seu reformationes nuper facte super coronis, infrixaturis et aliis ornamentis sint nimis durissime et obscure, ideo predicti sapientes gabelle ad modificationem et declarationem providerunt, videlicet:

In primis quod ibi ubi imposita est pena in ipsis provissionibus, quod non fiat ius in civilibus in agendo vel defendendo et quod de consiliis auferantur, quod illa verba sint cassa et quod solum sit firma pena viginti quinque librarum imper. et hoc locum habeat in preteritis presentibus et futuris.

Item providerunt quod sicut dictum est quod quinquaginta botoni de argento possint portare ad gimelas, quod idem intelligatur ad zupas, dummodo sint tantum ponderis unius unzie et dimidie et non pluris.

Item additum est quod sicut dictum est quod portari possint quinquaginta botoni de argento, idem intelligatur quod possint portari quinquaginta botoni de coralo, in quibus non sit determinatum pondus, et de quolibet alio metallo et condictione, dum tamen non sint maioris valimenti quam de argento et dum tamen portari nec poni possint ad aliquam vestem preter quam supra determinatum est.

Item providerunt quod quelibet persona possit portare ad guaranazonum seu guaranaziam duos lazolos seu botonos tantum de argento et de quolibet alio metallo, dum tamen non valeat ultra unum venetum pro quolibet eorum.

Item providerunt quod quilibet homo et mulier possit portare ad mantellum seu pellem unam cordam seu nestolam de seta extimationis duodecim denariorum tantum ad plus. Et predicte provisiones dominus capitaneus qui nunc est et pro temporibus fuerit et dominus Gentillis officialis super dictis ornamentis et alii officiales qui ad predicta fuerint teneantur predicta observare et observari facere, et habeantur pro statuto populi et in volumine statutorum populi ponatur, et quod dominus capitaneus teneatur omnia suprascripta in conscilio populi facere reformari.

Lecte et publicate et approbate fuerunt suprascripte provisiones in conscilio gabelle magne super domo dicte gabelle, in quo conscilio erant triginta ex officialibus dicte gabelle, et existentibus habatis domini Pelegrinus de Alegris, Bocazius de Asenellis, Riboldus de Diviciolis et Ghirardinus de Alamanis, die mercurii penultimo marcii.

78. — 1300, *apr.* 19, *XIII, l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 76.

Provisio gabellae, ut a debitis exhoneretur, super modo mutui faciendi, super rata salis imposita hominibus et communibus civitatis et districtus et venditione eius, ac super cavalcatoribus gabellae, stipendio peditum et equitum, venditione reddituum gabellae et expensis faciendis de avere gabellae (1).

79. — 1300, *apr.* 19, *XIII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 77.

Provisio gabellae quod minuatur numerus balesteriorum et guardiarum ad custodiam S. Martini de Arzino, Doxoli, Luzariae et Belforti, castri et rochae Sonzini et Piceleonis ut debita gabellae solvi possint.

80. — 1300, *mad.* 11, *XIII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 78.

Absolutio fratris Leonardi, a m. ianuarii a. 1298 massarii gabellae, qui accusabatur de fraude 150 libr. imper. et maximae quantitatis salis et aliarum rerum in damnum gabellae, facta per consilium gabellae.

81. — 1300, *mad. XIII, Cremonae. C*, 79.

Provisio gabellae quod firma et aprobata sit petitio fratris Cabrini, massarii pontis Doxoli, ut mercatandiae et res conductae ad mercatum terrae Doxoli possint extrahi et conduci quocumque, solvendo dacia debita, salvis mercatandiis quae conducuntur de civitate Venetiarum, et in frumento, blava, legumine et vino quae debent more solito conduci ad Cremonam (2).

82. — 1300, *mad.* 12, *XIII, l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 80.

Provisio gabellae quod contractus nuper factus de 1000 libris imper. mutuo acceptis a Baldesaro de Sexto et Iacomino de Ciria pro solvendis stipendiariis, cavalcatoribus et balesteriis foresteriis in servicium Cremae, obligando eis dacium 2 sold. imp. superimpositum cuilibet sextario salis vendito prius 13 soldis, firmus et validus sit.

83. — 1300, *mad.* 13, *XIII, l. Cremonae in cons. gab. C*, 81.

Provisio gabellae quod turres castrorum quae custodiuntur per commune incantentur et dentur volentibus eas bene custodire et bonas securitates facere ad meliorem conditionem. Item quod Cre-

(1) Si cerchi, si dice, se qualcuno vuol dare denari in imprestito all'interesse di due denari per lira al mese. — Si esaminino le rate di sale imposte a ciascuno, si aumentino se è possibile, si quoti chi non è quotato, e si obblighi ciascuno a pigliare subito una metà della quota che gli spetta. — Siano soppressi i cavalcatori della Gabella. — Ai soldati a piedi con balestra o senza non si possa dare più di 12 denari al giorno. — Ai soldati a cavallo forestieri con due cavalli si dia non più di 5 lire al mese e con un cavallo 3 lire. — Agli statuti e provvisioni che vietavano la vendita dei redditi della Gabella si aggiunga che non si possano vendere se non per la difesa del comune e degli amici, e sia in tal caso la vendita approvata nel consiglio della campanella, presenti almeno 200 consiglieri, da due terzi. — Questa formalità si usi sempre che si deve spendere dell'avere della Gabella più di 10 lire imperiali.

(2) Nella terra di Dossolo, fabbricata e popolata dalla Gabella, si era stabilito un mercato ogni domenica; ma in forza della provvisione che le merci provenienti da Dossolo dovessero essere condotte a Cremona, il mercato riusciva nullo, e si andava ai mercati di Casalmaggiore, Piadena e Portiolo, anche dalle terre vicine a Dossolo e da Dossolo stesso. La Gabella riparò a questo danno con la presente provvisione.

menses possint et debeant incanevare et gubernare salem sibi necessarium in salariis officii gabellae solvendo pensionem domorum cum pactis quae habent Pergamenses et Laudenses.

84. — 1300, *iun.* 1, *XIII, l. Cremonae in cons populi in palatio veteri. C,* 82.

Provisio gabellae pro compellendo homines, qui se fecerunt scribi et scripti sunt in libro societatis Doxoli et sortes terrarum habuerunt, ad veniendum habitare cum familiis in Doxolo usque ad diem 15 iunii.

85. — 1300, *iun.* 2, *XIII, l. Cremonae in cons. gab. C,* 83.

Provisio gabellae quod quaelibet persona possit conducere et incanevare salem in Cremona et conducere extra civitatem et districtum quibusdam pactis et condictionibus.

86. — 1300, *iun., XIII, Cremonae. C,* 84.

Provisio gabellae quod ad expensas gabellae cavetur et ampletur claviga sive fossatum ranarum pro sanitate et decoro civitatis.

87. — 1300, *iun.* 18, *XIII, Cremonae. C,* 86.

Sententia lata ab assessore capitanei populi, habito consilio quatuor sapientium, quod non est ultra procedendum contra fratrem Leonardum, massarium gabellae, sed firma et valida esse debet absolutio de ipso facto (11 mad. 1300) per consilium gabellae.

88. — 1300, *iun.* 25, *XIII, Cremonae, l. in cons. gabellae. C,* 85.

Provisio gabellae, ex auctoritate reformationis consilii generalis populi, quod fiat turris cum campana ad Ecclesiam seu Hospitale de Brazollis monasterii S. Bernardi et nemora contigua stirpentur per medium milliare ab illis qui loca tenent, ut strata ad Robeccum tuta et secura sit.

89. — 1300, *iul.* 26, *XIII, l. in cons. gen. comm. Cremonae. C,* 129.

Condemnatio facta per consilium gabellae in Simonem et Percivallum de Branchis de 100 libris imper. pro quolibet, nisi infra decem dies solvant illas 120 libr. quas tenentur dare gabellae pro residuo ficti duorum annorum terrarum Luzariae (V. a. 1298, iun. 26).

90. — 1300, *aug.* 10, *XIII, l. in cons. gen. populi Cremonae. C,* 128.

Provisio gabellae super tempore electionis potestatis et capitanei et pro denonciacione eis facienda (1).

91. — 1300, *aug.* 15, *XIII, l. Cremonae in cons. gab., C,* 130.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus cum Zumignano de Molla de 900 libris imper. mutuo acceptis pro solucione facienda stipendiariis qui sunt Laudae et Cremae, quae debent ei restitui de proventibus pontis Padi, ultra illas 450 libras quas antea mutuo dedit.

92. — 1300, *sept.* 26, *XIV, Cremonae, l. in consilio gabellae. C,* 131.

Provisio gabellae quod contractus dacii 12 den. imp. super impositi cuilibet sextario salis, ultra precium 10 sol. imp. quo vendebatur sextarius, factus per sindicum communis cum Baldesaro de Sexto et Iacomino de Ciria ad restitutionem eis faciendam 1000 libr. imp. mutuo receptarum occasione faciendi laborerium super ripam Ollii et Padi, curationi fratris Albertini prioris Vallisviridis commissum, firmus et validus sit.

(1) Per essersi tardato per l'addietro ad eleggere il podestà e il capitano, oppure a mandar loro sindaci e notai ad annunciare l'elezione, diminuirono alcuna volta le rendite della Gabella, si accrebbero le spese, e la città fu senza rettori con grave suo pericolo. Il consiglio della Gabella dunque statuisce, che il podestà e il capitano, dopo due mesi di carica, facciano eleggere i loro successori, nel consiglio generale del comune l'uno, in quello del popolo l'altro, coi brevi. Tosto siano mandati sindaci e notai ad annunciare l'elezione; se gli eletti accettano, si facciano dare sicurtà che nel tempo del loro regime non domanderanno nè per sè, nè per la loro famiglia concessioni, cambi, rappresaglie, sequestri, ecc., e ritornino indietro senza indugio. Se non accettano, ritornino pure indietro subito, e si proceda ad una nuova elezione. Lo stesso metodo si tenga per gli altri officiali forestieri stipendiati dal comune.

93. — 1300, *oct.* 27, *XIV, l. Cremonae in consil. gabellae. C,* 132.

Provisio gabellae, quae valeat tantum usque ad calendas ianuarii proximi, quod frater Leonardus massarius possit emere salem quantum habere possit a mercatoribus tam Cremonae quam forensibus, non obstante provisione de sale non emendo nisi a Venetiis, cum non sit pecunia sufficiens in gabella.

94. — 1300, *nov.* 3, *XIV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 133.

Provisio gabellae quod cavalcatores ad servicium gabellae et officii blavae debeant computari in numero militum (17) qui deficiebat in talia militum quae teneri debet pro communi, salvo quod non debeant discedere de civitate vel districtu nisi iusta causa (v. a. 1300, apr. 19). Item super solucione facienda illis qui missi sunt extra districtum ad locum vel personam quae non portet ambaxatam (1).

95. — 1300, *nov.* 7, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 134.

Provisio gabellae quod iura et redditus baratiarum Cremonae, quae olim datae fuerunt Lioncino de Rubeis, intelligantur pervenisse in gabellam et in ipsa in perpetuo debeant remanere, et incantentur et dentur in fictum plus offerenti (v. a. 1293, feb. 8).

96. — 1300, *nov.* 23, *XIV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 135.

Provisio gabellae quod per praesentes potestatem et capitaneum vel per futuros sindacatus vel impedimentum non possit fieri antecedenti provisioni.

97. — 1300, *dec.* 11, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 122.

Provisio gabellae quod validus sit contractus factus per sindicum communis cum Ambroxino de Sexto, Iacomino de Ciria et Daniele de Casamalla dacii super impositi 2 sold. imper. cuiuslibet sextarii salis eis dati pro 1000 libris imp. mutuo acceptis ad solutionem faciendam Aloisio comiti de Casalolto et Zoannino de Mantua capitaneo et conestabili taliae militum Cremonae (cfr. 12 mad. 1300). Item quod datum de baratariis per incantum in Franceschino de Comessadio sit firmum non obstante aliqua solemnitate omissa (v. a. 1300, nov. 7). Item quod massarius gabellae solvat massario collegii iudicum 55 libras imper. pro consilio dato potestati et capitaneo super quaestione baratiarum, quae repetebantur per heredem Leoncini de Rubeis, et alias expensas necessarias praedicta de causa. Item quod provisio 27 oct. valeat et duret usque ad totum annum 1301 (v. a. 1300, oct. 27).

Item quod terra de Montexellis, una cum terris de ultra Padum quae sunt eidem adiunctae, habeant banderiam et potestatem et notarium, qui debeant solvi a praedictis terris (20 libr. imp. potestati, 5 libr. imp. notario) et eligi per portas vicissim in consilio generali communis Cremonae ad brevia.

« Nomina terrarum que sunt adiuncte dicte potestacie sunt he:

De S. Iuliano - De Bragacia - quatuor libr.

De Ponte Navacie - De domibus de Fustinis - De domibus de Paniziis et illorum de Burgo - De Butalengho - De S. Michaelle de Treplo - De Vado de Squatarolis - quinque libr. imp.

De Castro veteri - quatuor libr. imp.

De Casteleto de Bocaciis - De Tinacio - De Olza et S. Valeria - De Fornaze - De Burxalupo - De Harpegata - De Lisola Iacobi de Corado - De Montexellis de Bonefaciis - quatuor libr. imp.

De Burgo novo de Dovarensibus - De Burgo novo de Gaydoldis - De S. Petro in Curte - De Ultra Poxolum - De Lizola - quinque libr. imp. »

Reliquae tres librae debent solvi a terra de Montexellis.

---

(1) I cavalieri della Gabella e della « Blava », uscendo dalla città o dal distretto, dovevano avere 3 soldi imperiali al giorno. I messi dovevano pagarsi per un cavallo solo con 3 soldi imperiali e mezzo al giorno se notai, con 3 soldi soli se non notai.

98. — 1300, *dec.* 30, *XIV*, *l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 123.

Provisio gabellae quod partita in consiliis communis vel populi super expensis faciendis de avere gabellae ultra 25 libras imper. fieri debeant ad busolas et balotas cum modis quae statuuntur, ut fraudes vitentur, et etiam quotiens tractabitur de absolvendo aliquo statuto et de intrando in guerram (v. a. 1300, apr. 19). Item quod praesentes gabellatores non debeant molestari nec sindacari super eo quod non possunt consignare successoribus suis 200 modios salis pro qualibet cobla, quemadmodum provisum et statutum fuit sub 1294, VII (v. 1299, dec. 31).

99. — 1301 (1300 *inc.*), *ian.* 29 *et* 31, *XIV*, *l. Cremonae in cons. gab. et in cons. comunis. C*, 124.

Provisio gabellae super regimine terrarum quae adiunctae sunt sub potestacia de Montexellis (v. a. 1300, 11 dic.). Item quod omnes personae in civitate vel districtu habitantes compellantur accipere salem impositum per officium gabellae, secundum reformationem consilii gen. communis celebrati die 27 ian. et de modis quibus debeant compelli (1).

100. — 1301 (1300 *inc.*), *ian.* 29 *et* 31, *l. in cons. gabellae et in cons. gen. comm. Cremonae. C*, 125.

Provisio gabellae quod nulla persona debeat aliquo modo advocare, patrocinari, procurare, nec auxilium vel consilium dare alicui recusanti accipere salem.

101. — 1301 (1300 *inc.*), *febr.* 10, *XIV*, *l. Cremonae in cons. gab. C*, 126.

Provisio gabellae quod contractus dacii 12 den. imp. cuiuslibet sextarii salis venditi Iacomino de Ziria et Nicolino de Riboldis pro 1000 libris imp., mutuo acceptis ad solucionem faciendam Aloisio comiti de Casalolto et Zoannino de Mantuanis capitaneis militum et balesteriorum, ratus et firmus sit (v. a. 1300, dec. 11). Item quod potestas capitaneus et alii officiales communis debeant omnino observare et observari facere omnes contractus factos et faciendos per gabellatores.

102. — 1301 (1300 *inc.*), *marc.*, *XIV*, *Cremonae. C*, 127.

Provisio gabellae contra malos mercatores, navarolos seu nuclerios et vetturalles, ducentes merchadandias a Veneciis vel aliunde et fraudes committentes.

103. — 1301, *iul.* 4, *XIV*, *l. Cremonae in cons. gab. C.* 87.

Provisio gabellae quod cassa et irrita sit provisio 2 iun. 1300 et nulla persona possit incanevare salem in civitate vel districtu, ne fraudes committantur.

104. — 1301, *iul.* 11, *XIV*, *l. Cremonae in cons. gab. C*, 88.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus cum Ruggerino de Paterno, Nicolino de Riboldis, et Ottobello de Rupere de 1000 libris imper. mutuo acceptis cum interesse seu dono 4 den. pro libra pro quolibet mense, pro solutione facienda militibus Laudae et guardiis castrorum, obligando eis dacium 2 sol. imper. superadditum cuilibet sextario salis vendito prius 18 soldis.

105. — 1301, *iul.* 17, *XIV*, *l. Cremonae in consilio gab.* (*tempore D. Lucheti de Gattaluxis potestatis*). *C*, 89.

Provisio gabellae quod gabellatores teneantur vinculo sacramenti infra tertium diem introitus eorum facere fieri generalem et solemnem inquisitionem contra omnes et singulos gabellatores praeteritos et etiam omnes homines quos cognovissent fecisse aliquid fraudolenter in officio gabellae vel in re pertinenti ad dictum officium vel contra statuta populi et provisiones gabellae.

(1) Le terre aggiunte a Monticelli dipendano dal suo potestà, il quale seguirà gli statuti delle varie terre se vi sono, se non vi sono gli statuti di Monticelli. — I riluttanti a ricevere le quote di sale imposte debbono costringersi con multe, colla confisca dei beni mobili ed immobili, col rigetto delle loro istanze di giudizio presso il comune.

106. — 1301, *iul.* 24, *XIV, l. Cremonae in cons. gen. comm. C,* 90.

Provisio gabellae quae valeat usque ad kalendas septembris proximas et inde usque ad kalen. sept. anni 1302 tantum, quod vinum venditum ad minutum solvat 20 soldos imp. ad minus et plus pro quolibet plaustro in civitate et burgis et vendatur solummodo in paroffiis statutis a gabella et per personas religiosas ab ipsa electas, et in districtu et episcopatu solvat 10 soldos imper. excepto castro Soncini (1).

107. — 1301, *iul.* 26, *XIV, l. Cremonae in cons. gen. comm. C,* 91.

Provisio gabellae quod nulla persona corpus universitas collegium vel paraticum audeat vel praesumat publice vel privatim reprendere suprascriptas provisiones super vendicione vini, vel iniuriari officio gabellae, sub gravissimis poenis. Item quod massarii communis non possint facere solutionem alicui officiali vel qui diceret se officialem, qui non esset ordinatus per statuta populi et communis et electus in consilio gen. communis, vel populi vel caravanae.

108. — 1301, *aug.* 4, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 92.

Provisio gabellae quod habeantur et eligantur 25 soldaterii pedites forenses, inter quos sit unus capitaneus, ad quindecim dies, qui debeant servire officium gabellae. Capitanei stipendium sit 12 den. pro quolibet die.

109. — 1301, *aug.* 6, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 93.

Provisio gabellae quod omnes processus facti occasione provisionum super venditione vini et paroffiis factis a gabella intelligantur fore factos et per omnes sapientes et de eorum consensu et pro utilitate gabellae iuste et legitime, et quod gabellatores praesentes et futuri non debeant aliquo modo sindacari vel molestari per aliquos officiales communis propter processus factos vel futuros.

110. — 1301, *aug.* 31, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 94.

Provisio gabellae quod electio potestatis, quae praesenti die ad minus fieri deberet, differatur usque ad medium mensem septembris (v. 1300, aug. 10).

111. — 1301, *sept.* 5, *XIV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 95.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus cum Iacomino de Ciria et sociis de 2000 libris imper. mutuo acceptis, pro solutione facienda stipendiariis foresteriis et custodibus castrorum, faciendo eis datum de duobus datiis salis 2 sold. imper. cuiuslibet sextarii salis, scilicet salis quod venditur a 10 sol. usque ad 12 pro quolibet sextario et a 13 sol. usque ad 15, cum dono seu interesse 6 den. pro libra.

112. — 1301, *sept.* 18, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 96.

Provisio gabellae quod potestas et capitaneus praesentes et futuri teneantur vinculo sacramenti exigi facere omnes condemnationes per eos factas infra unum mensem et haec provisio fiat statutum populi et in initio omnis regiminis legatur.

113. — 1301, *sept.* 19, *XIV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 97.

Provisio gabellae super salario confanoneriorum et illorum qui habent banderas vermilias, consulum et antianorum,

---

(1) Abbisognando il comune di denaro per i torbidi di Lombardia, per la difesa della città e della parte della chiesa di Cremona, la Gabella assunse questo monopolio. Le paroffie stabilite nelle città furono quattro in Porta Natale, quattro nella Porta di San Lorenzo, due in Porta Ariberti al di qua dell'acqua e tre al di là, e in Porta Pertusio due al di qua dell'acqua e tre al di là. Riservato e salvo sempre il dazio che deve pagare il vino malvasia, vernaccia, ribolo e decreto e altro vino daziato dalla Gabella, che pure si dovrà vendere nelle suddette paroffie.

notariorum communis et dictatorum pro andatis quas faciunt in exercitibus et cavalcatis (1).

114. — 1301, *sept.* 21, *XIV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 98.

Provisio gabellae pro compensando homines qui conduxerunt a communi gabellas traversias a strada Robecchi superius de bestiis grossis et minutis et de aliis rebus et tansam de Malfiastris et illos qui conduxerunt dacium paleae, feni, lapidum, lignorum, etc. plebatus Calcei, nec eis potuerunt omnino frui occasione represaliarum, quae concessae sunt Ponzino de Pizenardis contra Pergamenses et discordiarum quae ortae sunt inter Cremonenses et Pergamenses. Item quod affictentur duo perticae glarearum Padi nuper additae.

115. — 1301, *sept.* 22, *XIV, Cremonae, l. in cons. gab. C,* 99.

Provisio gabellae quod electio gabellatorum deferatur post adventum praesentis exercitus et potestatis infra tertium diem. Item quod gabellatores sint absoluti et excusati a dicto exercitu nec possint ab aliquo inquietari.

116. — 1301, *sept.* 24, *XV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 100.

Provisio gabellae quod expensae, ultra formam provisionum, nuper factae occasione guerrae inter commune Pergami et Cremonae et pro defensione castri Martinengi, rocchae Covi et castri Rumenengi, sint et intelligantur esse legitimae et secundum ius.

117. — 1301, *sept.* 26, *XV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 101.

Provisio gabellae quod unus e iudicibus capitanei possit recedere a civitate per octo dies, cum necesse sit ut eat Placentiam ad loquendum Alberto Scotto.

118. — 1301, *sept.* 30, *l. Cremonae in cons. gab. C,* 102.

Provisio gabellae quod gabellatores gerant officium donec alii electi fuerint cum absentes sint potestas, credenderii aliique (v. sept. 22).

119. — 1302, *mad.* 13, *XV, l. Cremonae in cons. gab. C,* 103.

Provisio gabellae quod firma et valida sit concessio facta per sindicum communis Guilielmo Silvano, magistro monetae, fabricandi monetam hinc usque ad kalendas madii anni 1304.

120. — 1302, *id. id. C,* 104.

Provisio gabellae quod, cum necesse sit pecunia pro solvendo milites in servicium amicorum, concessum sit fratri Leonardo Cistercensium ordinis episcopatus Laudae conducere per districtum Cremonae, per aquam Padi et Aduae, 2000 modios blavae hinc ad viginti dies proximos, sine aliquo datio vel gravamine, hoc pacto quod solvat statim 500 libras imper. et conducat Cremonam 500 modios blavae, quos vendere debeat frumentum non ultra 5 sold. pro sextario, siliginem et milium non ultra 4 et 3 sold. et dimidium.

121. — 1302, *mad.* 31, *XV, l. Cremonae in cons. gabellae. C,* 105.

Provisio gabellae quod licitum sit he-

(1) Pagandosi dalla Gabella questi officiali, che prima erano soliti a pagarsi dall' officio della tavola (cioè dai massari del comune), officio ora quasi annichilato, si decreta: 1º i gonfalonieri negli eserciti o cavalcate ricevano 2 soldi al giorno, quelli che hanno le bandiere lo stesso, e se tengono cavalli per ordine del comune nulla abbiano per il cavallo o per i cavalli; nel caso contrario ricevano 2 soldi e mezzo per due cavalli e per ciascun cavallo al giorno nell'episcopato, 3 fuori dell'episcopato; se vi fosse esercito generale non percepiscano paga per nessun cavallo; 2º i consoli ed anziani del popolo abbiano lo stesso trattamento riguardo ai cavalli, cioè nulla se loro sono imposti dal comune, diversamente paga per due cavalli soli, e se ne hanno un solo, paga per un solo; 3º i notai ed i dettatori siano sottoposti allo stesso trattamento dei consoli ed anziani, salvo ad avere 6 denari al giorno per la penna. Non si potranno pagare più di quattro fra consoli ed anziani, più di due tra i notai del comune nelle cavalcate e più di quattro nell'esercito generale, e più di un dettatore nell'esercito o cavalcata. Si badi bene però che i sopradetti non si servano del cavallo di alcuno a cui sia imposto dal comune. Se poi avesse luogo alcuna cavalcata in cui andassero soldati pagati e insieme i gonfalonieri, allora questi abbiano paga per i cavalli come gli altri, e quei che hanno le bandiere paga per due cavalli.

redibus Martini Sachae conducere extra civitatem et districtum salem quem Martinus incanevaverat in salariis communis ex auctoritate provisionis 1300, iun. 2, non obstante provisione 1301, iul. 4.

122. — 1302, *id. l. Cremonae in cons. gab. C*, 106.

Provisio gabellae quod firma sit venditio facta per sindicum Communis Primerano de Divitiolis, Nicolino de Doxino, Clerichino de Ansoldis, Ottolino de Rotis et Thomaxino de Mola et sociis, pro 2300 libris imper., de dacio 5 sold. imper. pro quolibet plaustro vini quod venditur ad minutum extra civitatem et burgos, et de furno qui appellatur potestatis et capitanei et iure vendendi panem pro 310 libr. imper., occasione exercitus faciendi.

123. — 1302, *iun.* 27, *XV, Cremonae, l. in cons. gab. C*, 107.

Provisio gabellae quod firma et valida sit venditio reddituum curiarum Guastallae et Luzariae et bonorum bandezatorum, facta Guilielmo Confanonerio et Petro de Contis et sociis, et quod fratres de Branchis (v. a. 1298, iun. 26) solvant emptoribus 128 libras et commune Guastallae 150 libras, quas debent annuatim solvere.

124. — 1302, *id. id. C*, 108.

Provisio gabellae quod massarii Pontis Padi, S. Lucae et Omnium Sanctorum non debeant ponere aliquem boletinum super boletis nisi adhibitis certis et quibusdam modis. Item quod praesens capitaneus et futuri non habeant pro salario suo et familiae suae et iudicum arzinorum et stratarum ultra 400 libras imper. pro sex mensibus. Item quod solvantur de avere gabellae 100 librae imp. Raimondino de Manno, occasione captionis quam fecit de Albertino de Burgo traditore et bannito communis et partis ecclesiae Cremonae. Item quod expensae factae per fratem Franciscum massarium gabellae occasione exercitus nuper facti, super territorio Mediolani et alibi, firmae et validae sint.

125. - 1302, *iul.* 24, *XV, l. Cremonae in cons. gab. C*, 109.

Provisio gabellae quod solvantur Guidoni de Pescarolo 30 librae imp. pro emendacione unius sui dextrerii mortui in exercitu nuper facto ad Cavayonum comitatus Mediolani.

126. — 1302, *id. id. C*, 110.

Provisio gabellae quod capitaneis olim castri S. Martini de Arzeno et turris seu rochetae dicti castri et rochetae Covi fiat restitutio de denariis quos solverunt gabellae pro quibusdam confinatis nec potuerunt recuperare, ne mercede custodiae sint fraudati.

127. — 1302, *sept.* 18, *XV, Cremonae. C*, 111.

Provisio gabellae per quam 10 librae imperiales, ultra medietatem banni, promittuntur illi qui denunciaverit venditores salis ad minutum in civitate et districtu.

128. — 1302, *sept.* 18, *XV, Cremonae. C*, 112.

Provisio gabellae quod mitigentur poenae contra quatuor piscatores. Item quod terrae districtus acoblatae ad accipiendum salem descoblentur et cuilibet imponatur certa quantitas salis.

129. — 1302, *sept.* 20, *XV, Cremonae. C*, 113.

Provisio gabellae quod reformatio gabellatorum 30 apr. ne incantentur et vendantur per potestatem terrae et domus Zeppi et ut mutetur massarius valida et firma sit, et quod contractus 30 iunii praeteriti, per quem redditus dicti Zepi dati sunt in fictum per 5 annos, solvendo 80 libras imp. pro quolibet anno fratri Martino de Paninsacchis, debeat inviolabiliter observari.

130. — 1302, *oct.* 28, *I, l. Cremonae in pleno et gen. consil. populi. C*, 116.

Provisio gabellae quod frater Gabrinus, massarius pontis Doxoli, non possit removeri nec pro remoto haberi, sed fiat inquisitio de officio suo per sapientes et si fuerit repertus in fraudem possit et debeat removeri.

131. — 1302, *nov.* 2, *I, l. Cremonae in cons. gen. populi. C,* 115.

Provisio gabellae quod nulla persona audeat vel praesumat ducere porcos magnos vel parvos extra episcopatum et districtum.

132. — 1302, *id. id. C,* 114.

Provisio gabellae quod communia, potestates, consules castrorum, locorum et terrarum episcopatus et districtus teneantur infra decem dies reducere in scriptis et designare sapientibus et abbatibus omnes habitantes, familias et buccas, et quod omnes teneantur ita se facere scribi ut postea sapientes ad hoc eligendi coaequari possint civitatem et districtum in impositionibus salis et adiungere quantitatem prout ipsis placuerit.

In primis D. Nicolinus de Duxino, abas — Item D. Iacominus de Runcho — Item D. Albertus Carexinus — Item D. Raynoldus de Lincis — Item D. Egidius de Bagnarollo — Item D. Boninsegna de Columbarollo — Item D. Francescus de Guazonibus — Item D. Ognadeus Zuffus — Item D. Axandrus de Contaro — Item D. Bonominus de Bonardo — Item D. Bonzanus de Somo — Item D. Abraminus Vedriarius — Item D. Guglielmus de Sclacchis — Item D. Nicolinus de Bonbeccariis — Item D. Belinus de Cagavetelis — Item D. Ziliolus de Alegris — Item D. Andraolus de Grecis — Item D. Ottonus de Natalibus, abas — Item D. Zanebonus Testa — Item D. Bernardus de Regona — Item D. Coradus de Micariis — Item D. Paganinus de Crespis — Item D. Duxinus Zuchelus — Item D. Petrus de Contis — Item D. Guglielminus de Contis abas — Item D. Luchinus de Bonseriis — Item D. Cabrinus de Piro — Item D. Ragnaldus de Ardengis — Item D. Marinus de Habate, abas — Item D. Zilius de Bredellis — Item D. Marcus de Bredellis — Item D. Simoninus de Acereto — Item D. Enricus de Moris — Item D. Clerichinus de Ansoldo — Item D. Iohannes de Ronchariolo — Item D. Usbertus Foliata — Item D. Montaninus de Vassalis.

Cum habatibus et sapientibus gabelle magne Cremone pluries dictum fuerit, quod per homines et personas episcopatus et districtus Cremone et continue stantes et habitantes cum eorum familiis in dicto episcopatu et districtu emitur et hinc retro emtum sit sale a portantibus sal pro vendendo, contra formam statutorum comunis et populli Cremone et gabelle Cremone, per episcopatum et districtum Cremone, cum quod non datur nec hinc retro suficiens quantitas salis data est comunibus locorum et terrarum episcopatus Cremone, cuius occasione comunia et homines dictorum locorum et homines et personas habitantes in eis emunt sal alliunde parte, quam de sale gabelle Cremone, quod redundaverit et redundat in maximum dampnum comunis et gabelle Cremone. Ideo habates et sapientes gabelle, qui fuerunt numero triginta septem, facto partito inter eos ad buxolas et balotas, providerunt, statuerunt et ordinaverunt, pro utilitate gabelle, quod omnia et singula comunia et omnes potestates et consules castrorum, locorum episcopatus et districtus Cremone teneantur et debeant infra decem dies post publicationem presentis provvisionis reducere in scriptis et infra dictum terminum dare et designare in scriptis habatibus et sapientibus gabelle omnes familias omnium et personarum ipsorum locorum, castrorum et terrarum et omnes bucas et personas ipsarum familiarum, cuiuscumque conditionis sint, et omnes familias et personas nobillium civitatis Cremone habitantium cum eorum familiis continue in castris vel locis seu terris ipsorum, et quod si dicta communia, potestates seu consules dictorum locorum seu terrarum non adtenderent et non observaverint suprascripta condempnentur et condempnari debeant per abates gabelle, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, infra tercium diem post terminum dictorum decem dierum, sine aliqua ammonitione, in quinquaginta libras imper. silicet quodlibet comune dictorum castrorum et quodlibet comune locorum seu terrarum districtus Cremone in viginti libris imp. et quilibet potestas ipsorum castrorum in viginti quinque libris imp. de avere proprio ipsorum, et quilibet consul dictorum castrorum in decem libris imp. de proprio avere eorum, et quilibet potestas locorum seu terrarum episcopatus Cremone in decem libris imper. et quilibet consul ipsorum locorum et terrarum in centum soldis imper. dandis et solvendis massario gabelle, et quod habates et sapientes gabelle, qui nunc sunt et pro temporibus erunt, teneantur et debeant ipsas condemnationes exiere infra decem dies, postquam ipse condamnationes fuerint publicate, et quod omnes homines et persone stantes et habitantes modo predicto in dictis castris, locis seu terris teneantur facere se scribi potestatibus, consulibus dictorum castrorum, locorum seu terrarum seu coram habatibus et sapientibus gabelle, infra terminum infra datum, et quod si in predictis fuerint negligentes condampnentur pro quolibet eorum in decem libris imper. et quod etiam eis nec alicui eorum redetur ratio per comune seu populum Cremone. Factis dictis consignationibus et datis dictis familiis et personis in scriptis, presentes gabellatores et eorum habates teneantur incontinenti portas civitatis et districtus Cremone in impositionibus salis facere coequari per sapientes ad hoc eligendos, secundum quod eis melius et equius videbitur convenire, et adiungere et adiungi facere communibus castrorum, locorum et terrarum et hominibus ipsorum episcopatus et districtus Cremone in impositionibus salis ipsorum illam quantitatem salis, ultra illam quantitatem quod soluti sunt, et debeant accipere prout dictis sapientibus placuerit, et quod quantitates que adiungentur, et adantur et scribantur in impositionibus salis et in libris ipsorum impositionum episcopatus et districtus

Cremone, et quod quilibet predictorum communium ipsas inpositas et aditiones salis cum impositis..... a gabella Cremone accipere teneantur, et quod omnes allie provisiones loquentes de dividendo impositas salis factas terris episcopatus Cremone coniunctis in una potestaria, et loquentes de dando et imponendo certam quantitatem salis annuatim predictis nobilibus episcopatus et districtus Cremone, debeant observari etc. et hec provisio sit truncha et precissa etc.

Die veneris secundo novembris lecta et publicata fuit suprascripta provisio in pleno et generali consilio populi Cremone per me Raimondinum de Gorenis notarium gabelle magne Cremone tunc.

133. — 1302, *id. id. C*, 117.

Provisio gabellae, ut fraudolenta venditio salis in districtu impediatur, quod non possit conduci extra districtum sal ad aliquam civitatem seu ad terram Cremae, nisi ad gabellam perveniant duae litterae ex parte rectorum et officii salis civitatis, in quibus licentiam petant conducendi certam quantitatem salis non minorem 40 somarum, et quod duo nuncii, unus gabellae et alter de Quirinis debeant ire cum ipso sale ad expensas conducentis, usque ad locum ad quem ducitur.

134. — 1302, *dec.* 10, *I, l. Cremonae in cons. gab. C*, 118.

Provisio gabellae quod firmus sit contractus, factus per sindicum communis et massarium gabellae cum Nicolino de Riboldis, Iacomino de Ziria et Danielli de Casamala, pro pecunia habenda super redditibus gabellae ad solutionem faciendam militibus, de 10 libris pro quolibet, quibus fuerunt impositi equi.

135. — 1302, *dec.* 24, *I, l. Cremonae in cons. gabellae. C*, 119.

Provisio gabellae quod ratio de expensis et de introitibus pontis Doxoli reddita perfratrem Gabrinum massarium sit firma et aprobata, et quod ei restituatur summa quam expendiderat plus quam habuerat (1).

136. — 1302, *dec.* 31, *I, l. Cremonae, in cons. gabellae. C*, 120.

Provisio gabellae quod fiat inquisitio super diminutione cuiusdam quantitatis vini, detenti in Casalimaiori per potestatem et conducti postea Cremonam in Batesterio, et culpabilis tam de gabella quam de aliis personis incontinenti puniatur.

137. — 1303 (1302 *inc.*), *ian.* 22, *I, l. Cremonae in cons. gab. C*, 136.

Provisio gabellae quod Anzelerinus de Nuptiis conservetur indemnis ab omni gravamine onere et damno quod sustinere posset ab Alberto Scotto, occasione depositi 50 libr. imper. quas habuerat a gabella in quadam quaestione inter commune et Bernabovem Confanonerium et gabellae restituerat (Cfr. 1303, iul. 31).

138. — 1303 (1302 *inc.*), *ian.* 30, *I, l. Cremonae in cons. gab. C*, 121.

Provisio gabellae quod firma sit venditio facta per sindicum communis et massarium gabellae de aliquibus daciis, pedaliis, gabellis et fictis civitatis, suburbiorum, episcopatus et districtus pro solutione facienda de 1100 libris imp. capitaneis et conestabilibus militum et balesteriorum communis (2).

139. — 1303 (1302 *inc.*), *febr.* 9, *I, l. Cremonae in cons. gab. C*, 138.

Provisio gabellae quod licitum sit iterum mercatoribus conducere salem et incanevare in civitate Cremonae et vendere forensibus (v. a. 1300, iun. 2, a. 1301, iul. 4; a. 1302, mad. 31).

(1) In seguito alla provvisione del 28 ottobre, quattro sapienti della Gabella avevano esaminato i libri dell'entrata e dell'uscita del ponte di Dossolo, durante la gestione di frate Cabrino, massaio fin dai tempi di Roberto de la Crotta potestà, cioè dal secondo semestre del 1294. Le spese ammontavano fino a questo giorno in 3532 lire, 9 soldi e 4 denari imperiali. Le entrate solo in 3434 lire, 16 denari e mezzo. Il Consiglio della Gabella, approvando i conti, ordina gli sia pagata la differenza di 98 lire, 7 soldi, e 10 denari, che aveva speso del suo.

(2) I dazi, pedaggi e gabelle, venduti dal sindaco del comune e massaio della Gabella frate Leonardo, sono i primi sei del documento 1309, D, 3, il nono, il decimo e il tredicesimo, di più le gabelle « tranversiae » o « de rebus tranversiis » pagate dai Comuni di Piadena, Casalmaggiore, Portiolo e Regazzola, i fitti delle « ghiaie » in mezzo alle vicinie di San Biagio e San Bassano, registrati nello stesso documento, e i fitti delle ghiaie del Po. Le 1100 lire ricavate andavano a Fragino di Durno, Enrico di Ricardino, Bertolaya di Mantova, capitani e conestabili dei militi balestrieri al servizio di Cremona, e a Maffeo d Nonantola capitano e conestabile dei balestrieri della taglia imposta a Cremona.

140. — 1303, *id. id. C*, 137.

Provisio gabellae quod debeant requiri personae quae velint solvere debita gabellae ad meliorem conditionem quam faciunt creditores praesentes. — Item quod gabellatores et fratres qui sunt ad portas non debeant recipere pignora pro mercadandiis, sed mercatores debeant incontinenti solvere ea quae debent. Item quod aliqui gabellatorum et fratrum debeant continue a mane usque ad sero stare ad portas.

141. — 1303, *marc.* 26, *I, l. Cremonae, in cons. gab. C*, 139.

Provisio gabellae quod gabellatores non debeant sindacari pro eo quod observassent provisiones et fecissent officium suum et si aliquod damnum sustinerent, debeant conservari indemnes de avere gabellae.

142. — 1303, *marc. in cons. gen. populi super palatio veteri Cremonae. C*, 140.

Consilium adprobat provisiones super diminutione expensarum et augumentatione introitus gabellae factas per octo sapientes electos, secundum reformationem consilii gen. communis, in quibus haec continebantur: *a*) quod officium sindici foresterii sit sublatum; *b*) quod sapientes gabellae eligantur tantum numero 24; *c*) quod guaitoni et soldaderii gabellae sint remoti; *d*) quod expensae gabellae fiant solummodo in casibus qui ibidem denotantur.

143. — 1303, *apr.* 14, *I, super palatio gabellae Cremonae. C*, 141.

Provisio gabellae quod firmi sint contractus facti per commune et gabellam de 3100 libris et 1550 libris cum Philippo de Capriaria de Mantua et Lanfranco de Capo, Nigrello de Luni, de Veneciis, sociis, et Daniele de Casamala et sociis de dacio salis.

144. — 1303, *apr.* 23, *I, Cremonae. C*, 142.

Reformatio gabellae quod fiat praestacio, non solutio, stipendiariis communis et tota pecunia quae perveniet in gabella expendatur in emendo blavam foresteriam et in solvendo dacium eiusdem.

145. — 1303, *mad.* 5, *I, l. Cremonae, in pleno gen. cons. populi. C*, 143.

Provisio gabellae quod tota pecunia expendatur solum in emendo blavam foresteriam et in solvendo dacium, salvis nonnullis solutionibus faciendis secundum provisiones mensis marcii, 1303, C, 140.

146. — 1303, *iun.* 22, *l. in domo gabellae et* 23 *in cons. gen. populi Cremonae. C*, 144.

Provisio gabellae qua eadem statuuntur quae in sententia 19 iun. 1303, D, 35, 37, continentur.

147. — 1303, *iun* 25, *I, l. super domo gabellae Cremonae. C*, 145.

Provisio gabellae quod firmus sit contractus factus per sindicum communis cum Egidiolo de Persicho et Oldofredo de Roncharollo de denariis mutuo acceptis, obligando eis omnes introitus gabellae.

148. — 1303, *iun.* 28, *I, l. in cons. gen. populi Cremonae. C*, 146.

Provisio gabellae quod processus facti per abbates et sapientes contra Quirinos robur plenissimae firmitatis obtineant, et omnes officiales debeant eos observare et observari facere et sint absoluti ab omnibus requisitionibus Quirinorum, nec debeant accipere aliquam petitionem nec facere aliquem processum contra abbates et sapientes de praedictis. Item quod nullus audeat facere aliquam denunciationem quae irritet aliquid in aliquo de praedictis. Item quod iterum fiat electio de 10 sapientibus gabellae per quamlibet portam (Cfr. i doc. del Cod. D, a quest'anno stesso).

149. — 1303, *iul.* 26, *I, l. super domo gab. Cremonae. C*, 147.

Provisio gabellae quod represaliae contra Pergamenses suspendantur usque ad totum mensem ianuarii. (V. a. 1301, sept. 21).

150. — 1303, *iul.* 31, *I, l. super domo gab. Cremonae. C*, 148.

Provisio gabellae quod 80 librae imp. dentur cuidam mercatori Ianuae ut tolli faciat represaleas concessas a communi Ianuae contra Cremonenses (1).

151. — 1303, *aug.* 7, *I, l. super domo gab. Cremonae. C*, 149.

Provisio gabellae, ex auctoritate reformationis consilii generalis populi, quod quilibet volens vendere vinum foresterium ultra tres medianos bozolam, solvat 20 sold. imp. de quolibet mediano vendendo ultra tres medianos bozolam de quolibet plaustro vini, sub certis poenis.

152. — 1303, *aug.* 28, *I, l. super domo gabellae. C*, 150.

Provisio quod omnes terrae et habitantes districtus et episcopatus debeant recipere, sub gravibus poenis, quantitatem salis impositam, et communia debeant dividere salem inter homines ipsarum terrarum pro medietate secundum quantitatem averis et facultatem, et pro alia medietate secundum numerum personarum (Cfr. 1302, nov. 2).

153. — 1303, *id. id. C*, 151.

Provisio gabellae quod cassa et irrita sit provisio 18 mart. 1303, et emptores dacii vini et furni capitanei habeant, iuxta pacta contractus, 4 den. de libra pro quolibet mense.

154. — 1303, *id. id. C*, 152.

Provisio gabellae, ex requisitione ducis Venetiarum, quod sententiae et processus contra Quirinos sint cassi et vani, et procedatur ad alium asazum, pensum et mensuram salis (v. 1303, iun. 28).

155. — 1304, *apr.* 6, *II, Cremonae, in cons. gen. communis. C*, 156.

Venditio datii 16 sold. imper. pro quolibet sextario salis facta per comune et gabellam in Donatum, Marcum et Nicolaum de Quirinis, Daniellem de Casamala, Anzelerinum de Nuptiis et Nicolinum de Cavaleriis et plurimos socios pro 29158 libris imper. et 14 sold. imp. occasione praesertim succurrendi Papiam et solvendi dacium blavae foresteriae (2).

156. — 1304, *apr.* 13, *II, l. super domo gabellae Cremonae. C*, 153.

Provisio gabellae quod praedictus contractus firmus et validus sit.

157. — 1304, *apr.* 26, *II, l. super domo Cremonae. C*, 154.

Provisio gabellae, ex reformatione consilii gen. comm., quod cuilibet boccali vini (salvo foresterio, de quo debent solvi 5 sol. imp. pro sextario) venditi ad minutum in civitate et districtu duae untiae diminuantur, quarum precium seu dacium perveniat in gabellam, usque ad festum S. Michaelis proxime venientis.

158. — 1304, *mad.* 6, *II, l. super domo gabellae Cremonae. C*, 155.

Provisio gabellae, auctoritate consilii collegii iudicum, quod provisio 24 ian. praeteriti proximi valeat et teneat de iure, et fiat solutio collegio praedicto de 15 li-

---

(1) Luchetto de' Gattalusci di Genova e Bernabò de' Confalonieri di Piacenza furono nel secondo semestre del 1301, il primo potestà, il secondo capitano del popolo di Cremona. Pare che non avessero riscosso tutto il loro stipendio e il denaro che loro spettava per certe andate in campo, e che su ciò vi fosse questione col comune. Il comune di Genova concesse perciò rappresaglie contro i Cremonesi. Il consiglio della Gabella, dietro informazione del consiglio generale del comune, in cui erano trecento credenzieri e più, e previa votazione preliminare se si dovesse o no fare questa provvisione, stabilisce si diano 80 lire imperiali a un mercante genovese, che si offriva mediatore per far togliere le rappresaglie, col patto che dia malleveria di restituirle se non vi sarà riuscito dentro il 15 settembre, e che ottenga ancora da Luchetto e Bernabò quietanza e rinuncia a tutto ciò che pretendono per lo stipendio o per altra causa.

(2) Avendo il comune bisogno di 8000 lire imperiali vendette di nuovo il dazio sul sale a 16 soldi il sestaio ai precedenti compratori, i Quirini, Daniele di Casamala e soci (1302, 20 marzo, 30 luglio; 1303, aprile 14, C, 141), computando insieme con le 8000 lire quello che dovevano ancora riscuotere fino al primo ottobre scorso, tra capitale ed interesse, in forza dei primi contratti, e così si stabilì la somma di 29158 lire e 14 soldi. Diedero le 8000 lire Anzelerino di Nozze e soci, ai quali si assegnarono 800 lire di interesse ogni sei mesi a cominciare dal primo ottobre passato, da calcolarsi anticipato, e nella stessa misura si fissò l'interesse per le altre somme dovute loro e ai Quirini·

bris imper. pro consilio, et de 40 soldis imper. duobus advocatis gabellae (1).

159. — 1305, *apr.* 27, *III, l. super domo gabellae Cremonae. C*, 157.

Provisio officii gabellae super libris faciendis in quibus introitus et expensae gabellae magnae portarum Omnium Sanctorum et S. Lucae et pontium Padi et Doxoli scribantur, super racione reddenda per massarios, et super expensis solucionibus et receptionibus faciendis de dictis introitibus.

160. — 1305, *mad.* 9, *III, l. super domo gabellae Cremonae. C*, 158.

Provisio gabellae quod de redditibus gabellae fiat restitutio Anzelerino de Nuptiis de 150 libris imper. et abbatibus et sapientibus blavae de aliis 150 libris mutuo acceptis a gabella pro expensis necessariis faciendis in andatam quam facit inquisitor henreticae pravitatis contra Dolzinum et alios henreticos sequaces ipsius in districtu Novariae, secundum reformationem consilii generalis communis et populi.

✝ In nomine domini nostri Iesu Christi et Beate Marie Virginis et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei et totius aule celestis. Hec sunt provisiones per infrascriptos abbates et sapientes gabelle magne, facte tempore potestatie nobilis viri domini Zarli de Zorzis potestatis comunis Cremone et domini Ubertini de Adhegheriis capitanei populi Cremone, sub millesimo trecentesimo quinto, indicione tertia, de mense madii, videlicet per dominos Fredericum de Codelupis, Petrebonum de Gosalengo, Iacopinum de Trezo, Abraminum de Stanghis, abates,

Mainardinum de Diviciolis — Egidiolum de Malaspinis — Coradum de Codelupis — Franceschum de Gaidesco — Ghirardum de Roziis — Paganinum de Gariboldis — Ghirardum de Stefanis — Zoaninum de Doxino — Ghidinum de Gavaziis — Ambroxinum de Sexsto — Cabrielem de Zovenghis — Bonzaninum de Sommo — Bonorinum de Ciria — Nicolinum de Laude — Nicolinum de Bonisbecariis — Baldesarum de Pescarolo — Iulianum de Mozanega — Cabrinum de Foliatis — Guillelmum de Mombelo — Ubertum de Poxolis — Zamboninum de Cavaleriis — Philipinum de Magistris — Zoaninum de Casamala — Iacominum de Maltraversiis — Abraminum de Picenardis — Guillelmum de Prezanis — Andriolum Zapateram — sapientes gabelle magne, tempore predicte potestatie et predicti capitaneatus, qui fuerunt triginti unus, congregati super domo gabelle magne more solito et qui omnes fuerunt in concordia, facto partito inter eos per dominum Fredericum de Codelupis abbatem et sapientem gabbele pro se et sociis suis ad busolas et balotas, qui omnes posuerunt balotas suas in busola vermilia que aprobabat, infrascriptas provisiones debere fieri, et nulus posuit balotam suam in busola glaulca que reprobabat infrascriptas provisiones debere fieri. Tenor quarum provisionum talis est: Cum Anzelerinus de Nupciis, ad preces et instantiam dominorum potestatis et capitanei et abbatum et sapientum gabelle predicte, prestaverit gratia et amore et sine aliquo dono centum quinquaginta libr. imper. comuni et gabelle Cremone seu fratri Leonardo massario gabele, nomine ipsius gabele et comunis, pro solutione facienda illis qui debent ducere plaustra in andatam quam facit inquisitor henretice pravitatis contra Dolzinum et alios henreticos sequaces ipsius, existentes in districtu Novarie, secundum reformationem consilii generalis comunis Cremone facte de ipsis plaustris mitendis. Ideo provisum et ordinatum est per abbates predictos et sapientes gabelle, pro evidenti utilitate comunis et populi et partis Ecclesie de Cremona et pro conservatione catolice fidei, quod omnes introitus et redditus portarum sancti Luce et omnium Sanctorum et botoni salis deveniant et solvi debeant dicto Anzelerino donec fuerit sibi integraliter satisfactum de dictis centum quinquaginta libr. et quod de ipsis introytibus et reditibus et botono salis non possint nec debeant expendi modo aliquo vel ingenio nisi in dando dicto Anzelerino, donec sibi integraliter fuerit satisfactum de dictis denariis, et quod frater Leonardus massarius gabele predictus possit et debeat expendere dictos denarios mutuatos a dicto Anzelerino in dictis plaustris, et quod domini potestas, capitaneus, consules et antiani et sapientes gabele, qui nunc sunt et qui pro temporibus fuerint, teneantur et debeant dictam provisionem in qualibet sui parte observare et non contravenire, et si contra predicta vel aliquod predictorum fecerint vel facere permiserint, condempnentur et ipso iure sint condempnati dictus potestas in centum libris imper. et capitaneus in quinquaginta libris, et quilibet ex consulibus et antianis populi et ex gabellatoribus in centum soldis imper. pro quolibet eorum, et hec provisio sit troncha et precisa et ultima omnibus

(1) Cfr. i doc. 1304, maggio 4 e 5, D, 53 e 54. Con una provvisione del 24 gennaio la Gabella aveva abolito le masnade *(maxenate)* dei cavalcatori o stipendiari del comune, raccolte da tre conestabili di Cremona, Ruggerino di Gadio, Niccolino Cavaliere e Bernardino di Raimondino di Manno. Ma avendo essi sollevato proteste, la Gabella domandò il parere del collegio dei giudici sulla legalità della provvisione. Il collegio, in una adunanza a cui parteciparono 67 giudici, rispose (5 maggio) che era valida e che nessun compenso spettava ai cavalieri. Con questa nuova provvisione del 6 maggio la Gabella conferma quanto aveva decretato il 24 gennaio, e provvede per il pagamento al collegio dei giudici e agli avvocati.

aliis provisionibus et statutis loquentibus in contrarium.

Item cum alias existerit reformatum per consilium generale comunis Cremone, quod per dictum comune Cremone, ad requisitionem venerabilis fratris Henrici Ian. inquisitoris henretice pravitatis, dentur plaustra suficientia signatis cruce contra henreticam pravitatem pro exercitu faciendo pro fide catolica conservanda et manutenenda, et duo tubatores. Et cum etiam subsequenter existerit reformatum per consilium generale populi illud idem de predictis, et quod etiam ei dentur quatuor corerii necessarii ad dictum exercitum faciendum et lumerie et paneli et pileti necessarie et necessarii ad predicta, et quod omnia predicta fiant et efectui demandentur expensis comunis Cremone de denariis officii gabelle, et petitum et requisitum fuerit per dictum inquisitorem quod si non essent in gabela denarii necessarii ad predicta, quod rogentur habates et sapientes blave quod velint et eis placeat et debeant de denariis dicti officii blave mutuare sapientibus officii gabele quantitatem denariorum necessariam ad predicta, et quod dicti sapientes officii gabele teneantur et debeant facere provisionem de reddenda dicta quantitate pecunie sapientibus et officio blave, que fuerit mutuata per ipsos ipsi officio gabelle occasione predicta, de primis denariis de introitibus et reditibus ipsius gabelle, soluto primo et satisfacto Anzelerino de Nuptiis de illa quantitate pecunie quam ipse Anzelerinus mutuavit dicto officio gabelle ad instantiam dicti inquisitoris, non obstante aliquo contractu vel provisione vel reformatione vel statutis comunis et populi Cremone in contrarium loquentibus; et cum centum quinquaginta libr. imper. sint mutuate per sapientes officii blave sapientibus et officio gabelle pro predictis expensis faciendis. Idcirco suprascripti abbates et sapientes gabelle magne Cremone, qui fuerunt numero triginta unus in concordia nemine discrepante, providerunt, statuerunt et ordinaverunt, quod de primis denariis, obventionibus et redditibus dicte gabele et qui venerint in dictam gabelam et undecumque et qualitercumque venerint, satisfacto prius dicto Anzelerino pro ut superius dictum est, redantur, restituantur et solvantur per predictos sapientes gabele et per masarium sapientibus dicti officii blave et massario dicti officii blave dicti denarii dati et mutuati per predictos sapientes blave predictis sapientibus et officio gabele occasione predicta, non obstantibus aliquo contractu ab hinc retro facto in favorem aliquorum vel aliquibus provisionibus, statutis vel reformationibus consciliorum comunis vel populi vel alicuius alterius officii repugnantibus predictis; et quod domini potestas et capitaneus, consules et antiani populi Cremone, presentes et futuri, teneantur et debeant sacramento precisse facere observari et atendi predicta per predictos sapientes et officium et massarium officii predicte gabelle, presentes et futuros, et si predicti potestas, capitaneus, consules et antiani omiserint predicta facere et fieri facere, computetur eis in fraudem et condemnetur potestas in centum libris imper. et capitaneus in quinquaginta libris imper. et quilibet consul et antianus in decem libris imper. et in tantum possint et debeant sindicari per sindicatores eligendos specialiter predicta de causa per comune Cremone; et si dicti abates et sapientes dicti officii et eorum massarii presentes et futuri omiserint predicta facere et adimplere, computetur eis in fraudem et condemnetur quilibet eorum in decem libris imper. et in tantum debeant sindicari et condempnentur per predictos sindicatores; et hec provisio sit troncha et precisa et ultima et derogatoria omnibus aliis provisionibus, statutis, reformationibus comunis et populi et cuiuslibet alterius officii in contrarium loquentibus, et pro statuto populi troncha et precissa inviolabiliter debeat observari et quod ponatur in volumine statutorum populi Cremone, salvo quod per predictam provisionem non fiat aliquod preiudicium creditoribus gabelle.

Die dominico nono madii. Lecte et plubicate fuerunt suprascripte provisiones super palatio gabelle magne Cremone, per me Abraminum de Capelinis tunc notarium gabelle magne Cremone. Testes, Guillelmus de Prezanis et Andriolus de Tintis et plures alii.

† Ego Abraminus de Capelinis, notarius sacri palacii et tunc scriba ad dictum officium gabelle, predictas provisiones in predicto libro exemplavi et scripsi de mandato suprascriptorum abatum et sapientium gabele.

161. — 1305, *mad.* 18, *III, l. in cons. gab. Cremonae. C,* 159.

Provisio gabellae super malgariis qui cum bestiis veniunt ad pasculandum in episcopatu (1).

162. — 1305, *mad.* 28, *III, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 160.

Provisio gabellae quod tres somae salis de septem impositis singulis duobus mensibus castro S. Iacobi tollantur et addantur illis communibus episcopatus quae minus agravata sunt.

(1) Non pagando i *malgari* o pastori quel che dovevano venendo a pascolare con loro bestie nell'episcopato, dacchè non specificavano il luogo dove intendevano pascolare, ed anche i compratori di questa tassa, detta dei Malfiastri, occupando ed appropriandosi cose non loro proprie in danno della gabella e volendo estorcere indebitamente dai pastori denaro, si stabilisce che i pastori prima di avere la bolletta di pagamento dichiarino se vogliono pascolare sotto o sopra nell'episcopato, e si rilasci loro la bolletta in tal senso, nè possano portarsi altrove, sotto pena di pagamento intero, come se nulla avessero pagato. Cfr. 1301, sett. 21, C, 98; 1303, genn. 30, C, 121; 1309, D, 3; 1186, maggio 13 e 1237, dicembre, XI.

163. — 1305, *id. id. C*, 160.

Provisio gabellae quod provisio de mense marcii praeteriti, quae vetabat extra districtum educi pelles non laboratas, non habeat locum in pelles foresterias quae habent transitum per civitatem et districtum.

164. — 1305, *iun.* 5, *III, l. super palatio gab. Cremonae. C*, 161.

Provisio gabellae quod, secundum reformationes consiliorum et boletinos inde factos, fiat solutio Delayto Cagnolo de Veneciis, Martino Carello et filiis Martini Sacha de duabus navibus pro septem mensibus quibus steterunt incastelatae et guernitae pro communi ad pontem Padi, occasione cuiusdam exercitus faciendi, ad rationem 6 sold. imp. pro qualibet die et navi. Item quod fiat solutio 100 soldorum imp. illi qui accusavit et apostavit quemdam latronem stratarum, qui furchis suspensus fuit. — Item quod de avere gabellae fiat solutio de 17 libris imp., residuo salarii sui, magistro Belino astrologo, qui alias per reformationes consiliorum electus fuit astrologus communis.

165. — 1305, *iun.* 7, *III, l. super palatio gabellae Cremonae. C*, 162.

Provisio gabellae super formatione *officii salis*, cui deputantur iudex capitanei, deputatus ad officium bandezatorum, et quatuor sapientes, duo correrii, et quatuor soldaderii gabellae.

166. — 1305, *iun.* 11, *III, l. super domo gab. Cremonae. C*, 163.

Provisio gabellae quod Lanfranchinus de Raymondis et Bertolia de Pinzonibus, emptores gabellae traversiae et tansae de Malfiastris a strata Robecchi supra, habeant redditus ipsarum adhuc toto tempore futurae stadolinae sive automni, a Soncino supra, quum eas percipere non potuerint occasione guerrae de Martinengo et Palosco per totam stadolinam praeteritam.

167. — 1305, *iun.* 26, *III, l. super palatio gab. Cremonae. C*, 164.

Provisio gabellae quod incantentur et dentur plus offerenti dacium vini foresterii venditi in civitate et suburbiis usque ad sex menses, et dacium de rotis ferratis ductis per civitatem et suburbia usque ad quinque annos, et mutuo accipiantur 600 librae imp. ab illo mercatore qui proposuit dare salem communi, usque ad unum annum, occasione faciendi exercitus in servicio Pergami.

168. — 1305, *iul.* 10, *III, l. super palatio gab. Cremonae. C*, 165.

Provisio gabellae quod quilibet tam civis quam forensis possit conducere vel vendere per civitatem et districtum vina vernaza, ribella, malvaxia, decretum, pinella et moscatellum, solvendo 5 sold. imper. pro quolibet sextario. Item quod fieri debeat una turris cum uno rizeto et una fortelicia in capite pontis Doxoli ultra Padum de lapidibus tegulis et legnaminibus Sachini de Clusarco aliorumque bandezatorum Guastallae et Luzariae propter occisionem Iohannis et aliorum de Banianis.

169. — 1305, *III, Cremonae. C*, 166.

Provisio gabellae, ne fraudes committantur, quod omnes robae et mercadandiae, tam in eundo quam in exeundo civitatem non possint divideri nec removeri a ponte et a portis, nisi prius visae examinatae et extimatae fuerint per fratres et gabellatores.

170. — 1305, *aug.*, *III, Cremonae. C*, 167.

Provisio gabellae quod contractus et pacta facta cum Mafeo de Summo et Francisco de Casamala et sociis de conducendo salem per tres annos et de 800 libris imp. mutuo datis communi, occasione exercitus in servicio Pergami et taliae militum et peditum pro liga Lombardiae, sint provisiones gabellae trunchae et precisae.

171. — 1305, *id. id. C*, 168.

Provisio gabellae quod electio potestatis, quae fieri debet secundum provisionem 10 aug. 1300, differatur usque ad ventum praesentis potestatis ab exercitu.

172 — 1305, *sept.* 16, *III, Cremonae. C,* 16.

Provisio gabellae quod Egidio de Longoverdore restituantur pignora deposita penes massarium gabellae occasione condemnationis 10 libr. imp. in eum et alios factae olim per sindicum communis super eo quod non tenebant equos eis impositos, quum iniusta inventa fuisset.

173. — 1305, *oct.* 25, *IV, l. super palatio gab. Cremonae. C.* 170.

Provisio officii gabellae, secundum reformationes consiliorum communis, quod de avere gabellae emantur una domus ad cantonum iuxta porticum S. Mathei et altera domus in vicinia S. Nicolai et demoliantur ut stratae ampliores sint. Item quod expensis gabellae aptetur cantonum portae curiae Episcopi, emendo etiam terram necessariam pro adimplendo viam intus dictam portam per quam conducitur sal ad salarium communis,

174. — 1305, *nov.* 14, *IV, l. super domo gab. Cremonae. C,* 171.

Provisio off. gabellae quod abates cum quatuor sapientibus habeant plenam bayliam expendendi usque ad 100 soldos imp. pro inquirendo ea quae crediderint fore utilia gabellae, secundum reformationem alias factam.

175. — 1305, *dec.* 27, *IV, l. super domo gabel. Cremonae. C,* 172.

Provisio gabellae quod de qualibet soma lanae Franciae vel de ultra montibus debeat solvi et exigi tantum 5 soldos imp. undecumque veniat et quocumque vadat. Item quod contractus vendicionis dacii rotarum feratarum (5 sol. annuatim pro qualibet rota ferrata ducta per civitatem et suburbia, 6 den. pro carris, carretis vel carriolis ferratis) factus per abbates et sapientes et sindicum communis cum Zoannino de Casamala et sociis (v. a. 1305, iun. 26) firmus sit et provisio.

176. — 1306 (1305 *inc.*), *feb.* 10, *IV, l. super domo gabel. Cremonae. C,* 173.

Provisio gabellae quod notarii qui mittuntur per civitates et loca Lombardiae causa inquirendi de novis et aliis negociis et eis referendis communi debeant habere tantum pro solutione sua de quatuor diebus 6 soldos et dimidium et ultra quatuor dies 3 soldos imper. pro quolibet die.

177. — 1306 (1305 *inc.*), *mart.* 7, *IV, l. super domo gab. et in palatio maiori Cremonae super arengerium. C,* 174.

Provisio gabellae super modis faciendi partitum quotiescumque in aliquibus de consiliis generalibus communis vel populi tractabitur de guerra, represaliis, exercitu, cavalcata vel andata et de expendendo vel non de avere communis et gabellae ultra quantitatem 10 librarum imper.

178. — 1306, *id. l. super domo gab. Cremonae. C,* 175.

Provisio gabellae, ut fraudes vitentur, quod omnes cartae salis, quae aportantur a mercatoribus seu a nucleriis de Venetiis, debeant consignari abatibus et sapientibus gabellae, et fiat unus liber in quo scribantur.

179. — 1306, *mart. IV. C,* 176.

Provisio gabellae quod de redditibus portarum S. Lucae et Omnium Sanctorum, salvis iuribus priorum creditorum, restituantur Mafeo de Sommo et Ottolino de Sancto Sillo 400 librae quas debent habere occasione cuiusdam contractus (v. a. 1305, aug.) absque ulla utilitate ab hodie in antea, uti obtulerunt ipsi creditores (*Il documento è tronco per mancanza di un quaderno nel Codice*).

180. — 1306 (*Il documento manca del principio per la perdita di un quaderno*). *C,* 176.

Provisiones gabellae quod contractus dacii salis cum Quirinis et aliis validus sit in omnibus praeterquam in eo quod ordinatum est, eorum consensu et voluntate, de diminucione precii salis qui debet vendi in salariis piscariae et S. Agathae ad rationem 14 sold. imper. pro quolibet sextario, quorum 6 debent pervenire ad emptores, et non obstantibus aliquibus additionibus. Item quod gabellatores teneantur manutenere in salariis communis continue

50 modios salis ad minus et ultra, toto suo posse. Item quod fiat revisio de impostis salis. Item quod terrae districtus, quae non acceperunt salem a kal. oct. prox. praeteritis retro, possint eum accipere, solvendo 20 soldos pro quolibet sextario, usque ad voluntatem abbatum. Item quod capitaneus teneatur infra 8 dies exigere omnes condemnationes factas contra conducentes penas extra districtum, quarum precium debet sine aliqua condicione pervenire in gabellam.

181. — 1306, *dec.* 20, *V, l. super domo gab. Cremonae. C*, 177.

Provisio gabellae contra conducentes pennas et ceteras alias merçatandias extra civitatem et districtum. Item quod de qualibet bozola vini venditi ad minutum in civitate et districtu 2 untiae de 14 retineantur, quarum precium perveniat ad gabellam nec debeat expendi nisi pro defensione civitatis et districtus et in servicio amicorum (v. a. 1304, apr. 26). Item quod Nicolinus de Paterno debeat vendere gabellae terrenum unius domus in vicinia S. Pauli, quod in perpetuo votum et expeditum debet remanere ut strata amplior sit.

182. — 1307 (1306 *inc.*), *febr.* 28, *V, l. super domo gab. Cremonae. C*, 178.

Provisio gabellae per quam 50 librae imp. promittuntur illi qui manifestaverit scelerosos malefactores et pestiferos qui clandestine per fenestras domus gabellae nocturno tempore intraverunt et fractis hostiis et ruptis cantariis et seraturiis scrineorum et armariorum abstulerunt libros scripturas et privilegia gabellae; vel illi malefactorum, cum impunitate, qui socios suos manifestaverit.

183. — 1307, *id. id. C*, 179.

Provisio officii gabellae super dacio et pedalio solvendo pannorum de Francia et de ultramontibus et de Mediolano et habentium similitudinem, et dacio *bonae robae*, pro qua intelligantur seta, laborerium setae, drapi aurei, etc. et omnes merchadandiae quae non nominarentur per mercatores seu spedigatores (v. a. 1305, dec. 27).

Congregatis abbatibus et sapientibus gabelle magne super domo dicte gabelle, more solito, qui erant numero viginti sex, facto partito inter eos per D. Zanebonum de Stanghis abbatem pro se et sociis ad busolas et ballottas, placuit omnibus dicte gabelle ponentes ballottas suas in bussola vermilia que aprobabat infrascripta fieri debere. Videlicet cum multe fraudes ab hinc retro comisse sint in detrimento et diminutione introytus et proventus gabelle, et ad hoc ut predicte fraudes evitentur et fieri non possint a modo, statuerunt ordinaverunt et providerunt, pro augumentacione reddituum gabelle et pro conservacione dicte gabelle, quod quelibet soma pannorum de Francia et de ultra montibus et de Mediolano, et habentium similitudinem cum drapis mediolanensibus et de ultra montibus, solvat pro pedalio dacio et gabella decem soldos imper. computato pedalio pontis. Et hoc ut augeatur introytus gabelle, cum parum et quasi nichil hinc retro perceptum sit de drapis de ultra montibus, sed solomodo sex soldi imper. de soma pannorum mediolanensium secundum veteres provisiones.

Item ordinaverunt et providerunt pro augmento reddituum gabelle et pro conservatione et manutentione comunis Cremone et dicte gabelle, quod de qualibet bona roba solvatur de qualibet soma viginti soldos imper. et extimetur soma in centum libras imperiales et non plus, et intelligatur bona roba seta, laborerium sete, quilibet drapi aurei, zafranum, grana, zendali, vayri, et omnis mercadandia que per mercatores seu per spedigatores non nominarentur. Et hoc ad evitandas fraudes cuiusdam provvisionis antique in qua continetur quod de soma bone robe solvantur novem seu undecim soldi imper. pretestu cuius omnes predicte res expediebantur, salvo quod nichilominus dicti mercatores seu expedientes dictas bonas robas teneantur solvere duos denarios de libra, salvo quod si de predicta bona roba et rebus plus solvi debet per aliquas alias provisiones, quod eis derogatum non sit set in suo statu permaneant et secundum eis solvatur.

Die martis ultimo februarii lecte et publicate fuerunt dicte provisiones per me Riboldinum de Magistris notarium, in consilio dicte gabelle coram habatibus et sapientibus gabelle eiusdem existentibus super domo dicte gabelle.

184. — 1307 (1306 *inc.*), *mart.* 3, *V, l. super domo gab. Cremonae. C*, 180.

Provisio gabellae ad confirmandam quamdam provisionem 1291, marc. IV, et aliam posteriorem, quod omnes lites et controversiae cum gabella et quaestiones ad ipsam pertinentes debeant tantummodo peragi et terminari breviter et summarie per abbates et sapientes, et sententiae

et processus firmi et validi sint et pro provisionibus habeantur et inviolabiliter observari debeant per officiales communis.

185. — 1307, *apr.* 30, *V, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 183.

Provisio gabellae quod Sandonio de Lalora et sociis restituatur dacium de una nave salis afondata in flumine Aduae in episcopatu Cremonae. Item quod debeat restitui dacium de navibus salis quae afondarent et perirent in districtu Cremonae.

186. — 1307, *mad.* 2, *V, l. super domo gab et in cons. populi Cremonae. C,* 181.

Provisio gabellae quod vinum Marchiae solvat 5 soldos pro quolibet sextario (v. a. 1305, iul 10). Item quod vina foresteria, quae venderentur a 3 den. supra pro qualibet bozola, similiter debeant gabellari. Item quod vina foresteria et cremonensia, quae venderentur ab uno denario usque ad tres pro qualibet bozola, solvere debeant 5 soldos imper. pro quolibet plaustro. Item quod dictae provisiones vendicent sibi locum si a consilio populi reformatum erit quod vina praedicta vendantur ad rationem 14 unciarum pro bozola. Item quod praedicta dacia habeant locum in civitate et districtu et durent usque ad festum S. Michaelis proxime venturum. Item quod quilibet forensis eundo et redeundo super ponte Padi, tam equester quam pedester, solvere debeat duplum de eo quod hinc retro solvere consueverunt. Item quod illi qui habent bladam super domo gabellae S. Lucae debeant solvere 4 denarios de quolibet modio ut via prope domum soletur.

187. — 1307, *mad.* 5, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 184.

Provisio gabellae quod nemo audeat vel praesumat vendere vinum nostranum in civitate et suburbiis ultra tres medianos pro qualibet bozola (v. a. 1307, mad. 2).

188. — 1307, *id. id. C,* 185.

Provisio officii gabellae quod restauretur murum civitatis quod est iuxta portam novam de avere gabellae.

189. — 1307, *mad.* 9, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 186.

Provisio gabellae quod solvantur Francisco de Pocaterris, olim capitaneo populi, 25 librae imper., in quas sindacatus fuerit iniuste Rambertucius de Argoyosis, olim capitaneus populi, de quibus solvendis pro Rambertucio steterat praedictus Franciscus penes fratrem Leonardum massarium gabellae, si iusta et legitima fuisset condemnatio.

190. — 1307, *mad.* 15, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 187.

Provisio gabellae quod scribantur in libro dispendii gabellae 8 librae imper. quas massarius solvit quatuor iurisperitis seu sapientibus pro advocando et alegando rationem communis et gabellae contra caurcinos.

191. — 1307, *mad.* 18 et 19, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 188.

Provisio gabellae, secundum reformationem consilii gen. communis, quod solvantur de avere gabellae 100 librae imp. conventui fratrum minorum, occasione capituli ipsorum fratrum quod conveniri debet insimul in dicta civitate, ad hoc ut Deus omnipotens et Maria eius mater beatissima dignentur conservare civitatem in bonum et pacificum statum. Item quod dacium de fornacibus civitatis et episcopatus, salvo Soncino, debeat incantari de anno in annum, secundum veteres provisiones.

192. — 1307, *mad.* 19, *V, super domo gab. Cremonae. C,* 191.

Consilium gabellae statuit quod firma sit et pro provisione habeatur reformatio consilii gen. communis facta ex petitione ambaxatorum Pergami, quod mercatores ducentes salem de Cremona Pergamum subleventur a gravamine nuncii mittendi a gabella cum sale usque ad Pergamum (V. a. 1302, nov. 2, C, 117).

Die veneris decimonono madii.
Congregatis abbatibus et sapientibus gabelle magne Cremone super domo dicte gabelle more solito, qui fuerunt numero viginti septem, facto partito inter eos per dominum Zoaninum de Tintis abbatem, pro se et sociis suis, refformaverunt se

dicti abbates et sapientes in concordia, nemine discorde, quod infrascripta reformatio consilii generalis comunis Cremone, facta die veneris suprascripto, ibi lecta coram dictis sapientibus, super ambaxata relata per ambaxatores comunis Pergami, sit firma et valida et observetur in totum per abbates et sapientes gabelle qui nunc sunt et pro temporibus erunt, et pro provixione gabelle habeatur et observetur in totum, pro ut iacet et scripta est; et sit et esse intelligatur provisio gabelle troncha et precisa et ultima et derogatoria omnibus aliis provisionibus, reformationibus et statutis tam comunis quam populi et gabelle Cremone in contrarium loquentibus, et ex nunc valeat.

Tenor cuius reformacionis talis est:

Die veneris decimonono madii. Congregato consilio generali comunis super palacio veteri comunis Cremone ad sonum campane et vocem preconum more solito, in quo consilio erant dominus Bernardinus de Tacholis capitaneus, consulles et anciani populi Cremone et de eorum voluntate et centum credenderii et plures, secundum formam statuti; primo circata et exemplata de libro notariorum consulum et anzianorum proposta infrascripta; dominus Raynaldus de Canali, iudex et asessor domini Oddonis de Canali, potestatis Cremone, proposuit et consilium petiit sibi dari super infrascriptis. Primo super ambaxata comunis Pergami, retracta ibi in presenti consilio per dominum Guilielmum de Feragalis pro se et socio suo ambaxatore dicti comunis, continente inter cetera, quod gravamen nuncii quod datur mercatoribus salis, qui ducitur de Cremona Pergamum, per comune Cremone tollatur et de cetero eis non detur, salvo quod si comune Cremone et gabellatores velint mittere suis etc. et cum eciam ipsi offerant mercatores ipsius salis paratos facere idoneam securitatem de non dimittendo aliquam quantitatem salis in episcopatu Cremone, quod vobis placet fieri super predictis consulatis. Refformato predicto consilio et facto et revoluto partito per predictum dominum Raynaldum, placuit satis mayori parti dicti consilii, quod gravamen nuncii mittendi cum conductoribus salis de civitate Cremone ad civitatem Pergami tollatur; et de cetero illud gravamen eis non fiat per sapientes gabelle expensis ipsorum conductorum, faciendo dicti conductores generalem securitatem de non dimittendo aliquam quantitatem salis in episcopatu nec districtu Cremone, de qua securitate notarii gabelle non possint nec debeant accipere ultra quinque soldos imper. et quod de boletis que fient ipsis mercatoribus et nunciis eorum de concessione ipsius salis dicti notarii non possint accipere ultra id quod antiquitus solitum est accipi, et quod de predictis, si opus fuerit, sapientes gabelle teneantur et debeant provisionem facere que valeat et teneat de iure.

Testes: D. Branchinus de Zochis, Guilielmus de Codelupis et Andriolus de Salaxeriis, et plures alii.

193. — 1307, *mad.* 29, *V*, *l. super domo gab. Cremonae. C*, 189.

Provisio gabellae quod denarii dacii vini usque ad S. Michaelem (1307, 2 mad.) debeant poni super tabula Nicolini de Macagnis et tantummodo expendi pro solucione facienda Henrico Ferro olim potestati et officialibus gabellae. Item quod iudex capitanei deputatus ad officium stratarum et duo gabellatores habeant plenam bayliam compellendi vetturales ad laborandum ad conzamentum stratarum magistrarum civitatis unum diem pro quolibet et pro quoque iugo boum.

194. — 1307, *id. id. C*, 192.

Provisio gabellae quod provisio 28 febr. 1307 (C, 179) sit cassa et nullius momenti et veteres provisiones de eadem re in totum observentur.

195. — 1307, *mad.* 30, *V*, *l. super palatio gab. Cremonae. C*, 190.

Provisio gabellae quod incantentur per 5 annos redditus Ceppi, salvo quod persona religiosa solum possit eos habere, et denarii expendantur tantummodo in laborerio ecclesiae maioris (v. a. 1302, sept. 20). Item quod denarii quos potestas faciet exigi et venire super tabula Nicolae de Macagnis pro credenderiis qui voluerint se facere scribi ad consilium caravanae debeant dari dicto potestati pro solutione partis salarii sui. Item quod Cabrinus de Moris et Nicolinus de Cavaleriis et socii, emptores tansae de Malfiastris et gabellae tranversiae a strada Robecchi supra, habeant redditus ipsarum per totum praesentem annum, quum integraliter non potuissent eos recipere occasione guerrae Martinenghi sed solum in terra S. Baxiani et Zenivoltae.

196. — 1307, *iun.* 13, *V*, *l. super domo gab. Cremonae. C*, 193.

Provisio gabellae quod illae 80 librae imp. quas debet solvere pro ficto Ceppi unius anni frater Martinus de Paninsacchis (v. a. 1302, sept. 20), non obstante provisione 30 madii praeteriti, solvantur ad praesens, cum non sint denarii in gabella, conventui fratrum minorum (v. a. 1307, mad. 18) et restituantur postea pro laborerio ecclesiae de avere gabellae.

197. — 1307, *iun.* 19, *V, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 194.

Provisio gabellae quod potestas et capitaneus non debeant aliquo modo vel praetextu detinere naves salis et alias merchadandias ad pontem Padi, quae solverint pedalium. Item quod quaelibet cobla gabellatorum teneatur denuntiare sindacatoribus qui eligentur ad sindacandum potestatem et capitaneum praesentes et futuros, quod debeant inquisitionem facere ad voluntatem gabellatorum, de toto eo quod praedicti rectores dixerint et fecerint contra provisiones gabellae. Item quod iudex et miles potestatis et capitanei et quatuor gabellatores deputati ad officium salis (v. a. 1305, iun. 17), non debeant aliquo modo molestari per gabellatores de denariis acceptis pro expensis faciendis in via per districtum.

198. — 1307, *id. id. C,* 195.

Provisio gabellae quod iterum dentur in fictum per 10 annos redditus domus S. Mariae de Ceppo fratri Martino de Paninsacchis, solvendo 80 libras imper. quolibet anno in principio, secundum petitionem eius (v. a. 1302, sept. 20; 1307, mad. 30; 1307, iun. 13).

199. — 1307, *iul.* 18, *V, l. super domo gab. Cremonae (tempore potestatis Landi domini Celli de Salamonzellis). C,* 206.

Provisio gabellae quod de avere gabellae fiat porta et ponteculum castri Monteselli de Unginis ultra Padum.

200. — 1307, *iul.* 20, *V, l. in baptisterio Cremonae in cons. gabellae. C,* 207.

Provisio gabellae quod stipendiarii pedestres et balesterii in servitio communis possint habere pro quolibet die 12 denarios et plures usque ad quantitatem 2 sold. imper., consideratis conditionibus temporis nunc occurrentibus, et non obstante aliqua provisione gabellae.

201. — 1307, *iul.* 31, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 208.

Provisio gabellae quod massarius gabellae debeat de introitibus induere illud noncium qui nuper anonciavit introitum partis Ecclesiae in Placentia, et solvere quatuor gabellatores et 2 notarios et 2 corerios qui debent ire per districtum causa faciendi accipi salem (v. a. 1305, iun. 7), non obstantibus provisionibus qui determinant casus quibus potest expendi de avere gabellae (a. 1303, mar. C, 140, etc.).

202. — 1307, *aug.* 5, *V, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 209.

Provisio gabellae quod removeatur ab officio massarii pontis Doxoli frater Cabrinus culpabilis et loco eius substituatur frater Belvesius, canonicus domus S. Cataldi in suburbiis Cremonae.

203. — 1307, *sept.* 4, *V, l. super domo gab. Cremonae. C,* 210.

Provisio gabellae quod emptoribus dacii vini et furni capitanei (v. a. 1302, ma. 31, C, 106) solvantur tantum pro dono 3 denarii pro libra (v. a. 1303, marc. 18) et cassa sit provisio 1303, aug. 28, C, 151.

204. — 1307, *VI, Cremonae. C,* 196.

Provisio gabellae quod capitula lucri vel expensarum scribenda in libris massariae gabellae debeant primo scribi in libro illorum de boletino. Item quod solvantur 100 soldi imper. duobus notariis gabellae pro remuneratione cuiusdam libri in quo scripserunt soldatos tam pedestres quam equestres cum pilis et signis equorum et pro spontacionibus eorum et aliis scripturis. Item quod Rafainus Aghinonus notarius ordinatus sit ad exiendum dacium salis sine aliquo salario, ut ipse obtulit, vice fratrum qui recusaverunt, non obstantibus provisionibus et statutis in contrarium. Item, pro defectu salis qui non est in gabella, quod quilibet possit ducere et dare salem communi usque quod muda veniet, et quilibet possit eum vendere quanto precio voluerit.

205. — 1307, *dec.* 8, *VI, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 197.

Provisio gabellae quod frater Cabrinus, quum pons Doxoli occupatus et devastatus sit per inimicos et ibi non sit massa-

rius, restituatur in officio massarii eiusdem pontis (v. a. 1307, aug. 5).

206. — 1308 (1307 *inc.*), *febr.*, *VI*, *Cremonae. C*, 182.

Statutum, secundum formam reformationis consilii populi, factum a statutariis electis in eodem consilio, pro venditione facienda Ghirardo de Glosano, Philipino de Piperariis, Petro de Contis et Asino de Gadio et sociis de dacio 2 unciarum vini cuiuslibet bozolae quod vendetur ad minutum in civitate et districtu, a calendis marcii proximis usque ad calendas marcii 1309, pro 10000 libris imper., et super modis exactionis.

207. — 1308, *id. id. C*, 198.

Provisio gabellae quod nemo audeat vel praesumat vendere vel emere salem qui non sit de gabella, et cassa sit provisio 1307, VI.

208. — 1308 (1307 *inc.*), *marc.* 2, *VI*, *l. super pal. gab. Cremonae. C*, 199.

Provisio gabellae pro contractu facto cum Baxanino de Ancona et sociis de 100 modiis salis ad rationem 20 sold. et 4 den. pro quolibet sextario 5 pensarum et 5 librarum et 1 unciae, iuxta lapidem qui est in salario gabellae.

209. — 1308 (1307 *inc.*), *marc.* 6, *VI*, *l. super domo gab. Cremonae. C*, 200.

Provisio gabellae quod piscatores possint iterum vendere pisces sine aliqua pensa in curia D. Episcopi et S. Agathae. Item quod Ugetus de Ardoinis habeat illas 550 libras pro mercato 122 somarum salis, dati amore gabellae et ad preces sapientium, et etiam illos 6 soldos de quolibet sextario deputatos creditoribus salis. Item quod de avere gabellae solvantur custodes pontis Aduae. Item quod incantentur et apisonentur stationes iuxta gabellam et baptisterium usque ad portam magnam gabellae.

210. — 1308, *apr.* 17, *VI*, *l. super domo gab. Cremonae. C*, 201.

Provisio gabellae quod praesenti potestati et familiae eius prolongetur usque ad diem 24 apr. tempus mittendi litteras et sindicum potestati nuper electo Baxiano Fisceracha (v. a. 1300, aug. 10).

211. — 1308, *apr.* 29, *VI*, *l. super domo gab. Cremonae. C*, 202.

Provisio gabellae pro adprobando contractu celebrato die 26 aprilis cum Baxianino de Ancona de 100 somis salis ad rat. 19 sol. imp. pro quolibet sextario (v. a. 1308, marc. 2).

212. — 1308, *mad.* 16, *VI*, *l. super palatio gab. Cremonae. C*, 203.

Provisio gabellae contra fraudes commissas in iusta et legitima mensura per massarios et pensatores salis in salariis gabellae.

213. — 1308, *mad.* 19, *VI*, *Cremonae. C*, 204.

Reformacio gabellae quod admittatur et adprobetur supricatio societatis gabellae salis Pergami pro conducendo salem ad civitatem Cremonae et per districtum versus civitatem Pergami, pactis et conditionibus in ea contentis.

In nomine domini amen. Die dominico decimo nono madii. Concordaverunt et reformaverunt inter se abbates et sapientes gabelle magne Cremone, qui erant numero decem et octo, congregati super domo ipsius gabelle more solito, nemine discrepante, facto partito inter eosdem per dominum Oldofredinum de Piperariis tunc abatem, pro se et socio suo, quod petitio et requisitio hac etiam supricacio Tomaxii de Bexena et Laurencii de Puteo, civium Pergami sociorum societatis gabelle sallis de Pergamo, admitatur et in ea procedatur cum capitulis infrascriptis. Tenor cuius petitionis, requisitionis et supricacionis talis erat et est:

In primis petunt, requirunt et supricant tamquam socii predicte societatis, nomine et vice ipsius societatis et sociorum ipsius societatis et pro ipsa societate de Pergamo et sociis eiusdem, quod cum ducere volunt et conduci facere intendunt nomine dicte societatis et pro dicta societate maximam quantitatem salis ad civitatem Cremone et per districtum Cremone versus civitatem Pergami, solvendo comuni et gabelle Cremone dacium et pedagium et gabellam de ipso sale conducendo per eos ad civitatem Pergami, totum illud quod consuetum est solvi hinc retro per homines de Pergamo comuni Cremone occasione salis conducendi ad civitatem Pergami a civitate Cremone,

integraliter et in totum sine aliqua diminutione et detractacione.

Item quod bibulci qui conducent ipsum salem a civitate Cremone versus Pergamum non cogantur nec cogi debeant nec possint solvere per comunia et homines de sancto Baxiano, de Castro Leone, de Mozanega ultra illud pedagium et dacium quod consuetum est solvi per illos Pergamenses conducentes salem versus Pergamum, et specialiter per comune et homines de Mozanega, ubi non erat consuetum solvi pedagium de aliquo sale, ut dicunt dicti Thomaxinus et Laurentius, salvis semper omnibus iuribus, iurisdictionibus dictorum comunium et hominum castri sancti Baxiani et Mozanege et Castri Leonis si quos habent in aliquo pedagio exiendo occasione dicti salis. Item quod per dominos habates et sapientes gabelle, nomine comunis Cremone et per ipsum comune, eorum sal quem fecerint venire et conduci ad civitatem Cremone non possit nec debeat toli nec accipi ipsi societati nec alicui ex sociis dicte societatis, in civitate nec in districtu Cremone, aliqua de causa per aliquam personam, comune, colegium nec universitatem nec eciam interdici, contestari nec inquietari quominus ipse totus sal, quem abebit ipsa societas in civitate vel districtu Cremone, possit libere et sine aliquo impedimento conduci, tragi et menari et haberi et teneri in civitate Cremone et per districtum Cremone, veniendo versus Pergamum sive per stratam de Castro Leone sive per stratam de Soncino sive eundo versus Laude, de hinc ad duos annos proximos venientes, et quod omnes socii dicte societatis et eorum noncii et omnes bibulci dicte societatis hinc ad ipsum terminum sint libere afidati cum personis, bestiis, avere et rebus, adeo quod ipsi nec aliquis eorum non possint nec debeant capi, detineri, interdici nec aliquo modo inquietari vel molestari seu impediri in civitate nec districtu Cremone per aliquam personam, comune, colegium vel universitatem, aliquo modo nec aliqua de causa nec per ipsam gabelam, hinc ad suprascriptum terminum, solutis prius gabelis et daciis predicti salis, dum tamen non sint bandezati vel confinati comunis Cremone de malexardia nec de maleficio.

Item quod omnes ille strate et pontes per quas et quos oportet conduci et carezari ipsum sal suprascriptum, aptentur per comunia super quorum territorio sunt ipse strate et pontes, seu alio modo, ad voluntatem ipsorum dominorum habatum et sapientium gabelle. Item quod per ipsam gabelam et comune Cremone detur et restituatur suprascripte societati illud sal quod comune Cremone et gabella dare debet et tenetur suprascripte societati. Item quod ipsi socii et dicta societas parati sunt et volunt facere et prestare bonam et idoneam securitatem generalem de conducendo et estraendo suprascriptum sal per civitatem et districtum Cremone ad civitatem Pergami usque ad ipsum terminum, et apsque eo quod dictum sal in totum nec in parte remaneat, donetur vel vendatur in civitate nec districtu Cremone, et quod solo modo una securitas generalis per ipsos fiat et prestetur, et quod non possint compelli nec constringi modo aliquo vel ingenio ipsi socii seu noncii eorum nec aliquis eorum faciendo aliquam securitatem ultra unam usque ad terminum suprascriptum, et quod predicta societas seu socii eorum teneantur et debeant mitere Cremonam per plubicum instrumentum, ex parte potestatis comunis Pergami seu unius ex iudicibus eiusdem potestatis seu guidarum gabelle sallis Pergami, de toto illo sale quod facient conduci ad civitatem Pergami a civitate Cremone, infra unum mensem ex quo habuerint boletam occasione dicti salis conducendi, incipiendo terminum dicti mensis a tempore dicte bolete sibi date pro conducendo dictum salem, nec eciam ipsi gabelatores non teneantur nec possint eos compelere nec eis dare aliquem noncium, qui vadant cum eorum plaustris cum ipso sale, nec eos gravare occasione predicta, propter magnas expensas quas hinc inde substinuerunt occasione predicta predicti de Pergamo.

Item quod dominus prior domus Valis virdis de Cremona abeat et in se tenere debeat unam clavim de quolibet salario salis suprascriptorum sociorum suorum et dicte societatis, sicut consuetum est, et quod dictus dominus prior, quociescomque ei per ipsos socios vel eorum noncios fuerit petitum aperiri ipsa salaria, quod ipse dominus prior possit mittere dictas claves cum uno ex fratribus suis ad superstandum et videndum descaregari et ponderari dictum sal, sicut est consuetum. Item quod, amore comunis Pergami et predictorum sociorum et dicte societatis, provisiones fiant et fieri debeant per ipsos habates et sapientes gabelle, qui ponantur et scribantur in libro provixionum gabelle, que valeant et teneant de iure de omnibus suprascriptis et singulis et in qualibet parte sui, et quod domini habates et sapientes gabelle presentes et futuri sacramento preciso teneantur et debeant, hinc ad terminum suprascriptum, observare et observari facere suprascriptis sociis et dicte societati omnia predicta et singula.

214. — 1308, *VI, Cremonae. C,* 205, ***incompleta.***

Provisio gabellae occasione praedictae reformationis et praedictorum pactorum.

215. — 1308, *sept.* 1, *VI, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 211.

Provisio gabellae pro contractu facto cum Doto Boldizono de toto sale necessario gabellae ducendo et consignando usque ad unum annum (v. a. 1305, mart. 29, D, 57). Salis, Sardiniae vel Zipri, ducti Veneciis Cremonam per Padum, Dotus debet habere a comuni expensas acquisitionis et advectionis, praeterea 13 venetos grossos, et 10 sold. imp. pro quolibet sextario vendito a gabella.

Item quod debeant deponi super tabula Ugheti de Aldoynis primum denarii

omnes de redditibus gabellae pro solvendo interesse seu dona praeterita et futura, et postea medietas tantum pro solvendo capitalem creditoribus contractus salis qui appellatur contractus 2 denariorum de libra.

216. — 1308, *sept.* 25, *VII, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 212.

Provisio gabellae quod Ottolino de Casamala et socio notariis gabellae fiat solutio, examinatione facta per duos sapientes et notarios gabellae, de quibusdam instrumentis contractibus et scripturis factis. Item quod Corradino de Goferlaxiis, emptori dacii paleae, strami, etc., plebatus Calsei, pro 21 libris imper., nomine fratris Pergami conversi monasterii S. Mariae de Cava, anno praeterito antequam guerra incepta esset, restituatur utilitas quam percipere non potuit occasione dictae guerrae (1).

217. — 1308, *oct., VII, Cremonae. C,* 213.

Provisio gabellae quod sindicis et tubatoribus ituris ad denuntiandum regimina, cum tempus carestiae sit, fiat solutio non de 3 soldis pro quolibet et pro quolibet die uti tempore praeterito, sed de 4 soldis imper.

218. — 1308, *dec.* 12, *VII, l. super pal. gab. Cremonae. C,* 214.

Provisio gabellae per quam conceditur cuidam barberio viciniae S. Petri de Pado facultas faciendi stacionem in capite pontis Padi, iuxta alia casamenta, certis pactis et conditionibus.

219. — 1309 (1308 *inc.*), *ian.* 31, *VII, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 215.

Provisio gabellae quod pisces possint vendi sine pensa (v. a. 1308, mar. 6), et debeant omnes conduci in curia piscariae, sed solum certis horis diei, nec possint extrahi extra civitatem et districtum.

220. — 1309 (1308 *inc.*), *febr.* 19, *VII, l. in pal. gab. Cremonae. C,* 216.

Provisio gabellae quod firmus et ratus sit contractus celebratus cum Quirinis a. 1309, febr. 12, et contractus factus cum Nicolino de Riboldis et sociis sex soldorum cuiuslibet sextarii salis, dando et obligando ei redditum portae Omnium Sanctorum.

221. — 1309 (1308 *inc.*), *febr.* 20, *VII, Cremonae. C,* 217.

Lanfrancus de Cappo, ad postulationem abbatis gabellae et Sandonii de Lalora, declarat ipsum Sandonium pro se et duobus sociis socium pro 981 libris et 5 sold. imp. in residuo creditus salis (v. a. 1309, febr. 12).

222. — 1309 (1308 *inc.*), *mart.* 11, *VII, l. super palatio gab. Cremonae. C,* 218.

Provisio gabellae quod solvantur incontinenti Zuzio de Peruxio, olim conestabili equitum Cremonae, pro complemento solutionis, 50 librae imp., et pro aliis 150 libris quae remanent, fiat ei datum de redditibus tansae de Malfiastris et gabellae tranversiae a strata Robecchi supra excepto praesenti anno.

223. — 1309 (1308 *inc.*), *mart.* 22, *VII, l. super domo gab. Cremonae. C,* 219.

Provisio gabellae quod detrahatur de sorte quam debent adhuc recipere emptores dacii vini et furni capitanei illud (826 l., 14 s.) quod receperunt pro interesse ultra 3 denarios de libra a 1302, sept. 28 (v. a. 1303, marc. 18, D, 20) usque ad kalendas augusti 1307 (v. a. 1307, sept. 4), et de residua parte (1796 l., 16 s.) a dictis kalendis usque ad hodiernam diem et ab hodie in antea habeant tantum pro dono 3 denarios pro libra ut provisum fuit. Item quod vinum forense ductum de versus Placentiam vel Papiam vel aliunde de

(1) I lavori fatti dal notaio Ottolino di Casamala e socio, da mettersi ancora a registro, erano il contratto del sale con Dotto Boldizono (1308, sett. 1), il contratto di due denari per lira coi figli ed eredi del marchese Cavalcabò, rifatto e ridotto (1299, genn. 17, C, 56), la quitanza di Egidiolo di Persico (1303, 25 giugno, C, 145), la quitanza di alcuni mercanti di Bergamo di 81 some di sale, la quitanza del procuratore di Zufredino de la Torre, già capitano della lega di Lombardia, e di certi conestabili.

civitate Cremonae et pro civitate ad loca circumstantia solvat 16 soldos pro quolibet plaustro, dummodo non possit discarigari nec gubernari in civitate et districtu.

224. — 1309, *mad.* 3, *VII, l. super domo gabellae, et mad.* 7 *in platea maiori super arrengherium communis Cremonae. C,* 220.

Provisio gabellae, ad evitandas fraudes de dacio lanae et ut copia casei sit in civitate et districtu, quod nemo audeat vel praesumat ducere lanam extra civitatem et districtum nisi prius eam duxerit ad portas seu ad pontem civitatis et ibi solverit quod debet scilicet 2 den. pro libra. Item quod quilibet tenens pecudes facientes lactem debeat omni anno de mensibus aprilis, madii, iunii et iulii praesentare in curia mercadandiae Cremonae coram sapientibus gabellae tria pensa casei pro quolibet trentenario pecudum et pro rata et in quolibet dictorum mensium. Item quod quaelibet persona possit libere ducere extra civitatem et episcopatum vinum nostranum solvendo 4 soldos imper. de quolibet plaustro, quod plaustrum intelligatur 12 sextaria, et haec provisio super vino duret per totum septembrem.

225. — 1309, *iul.* 21, *VII, l. super palatio gab. et in cons. gen. comm. Cremonae. C,* 224.

Provisio gabellae quod homines episcopatus Placentiae possint libere et secure venire stare et redire in civitatem et episcopatum cum rebus et mercadandiis et victualibus, solvendo dacia et pedalia ordinata, quae provisio duret usque ad unum annum tantum.

226. — 1309, *iul.* 30, *IX, l. super palatio veteri Cremonae in consilio gen. comm. C,* 225.

